


DE SACELLO  
SIXTI V. PONT. MAX.  
IN EXQVILIBIS


AD  
PRÆSEPE DOMINI EXTRACTO



HIERONYMI BADESII ROMANI

Carmen

TRIBVS LIBRIS ET INCIPIT M.



ROMÆ

Ex Typographia Vaticana

M. D. LXXXIII.

CVM LICENTIA SUPERIORVM.

DE SACELLO  
SIXTI V. PONT. MAX.  
IN EXQVILIIS

A D  
PRÆSEPE DOMINI EXTRVCTO



HIERONYMI BADESII ROMANI

Carmen

TRIBVS LIBRIS DISTINCTVM.



ROMAE

Ex Typographia Vaticana.

M. D. LXXXVIII.

---

CVM LICENTIA SUPERIORVM.

# SANCTISSIMO PATRI

E T

D. N. SIXTO QVINTO

PONT. MAX.

HIERONYMVS BADESIVS ROMANVS

FELICITATEM.




V<sup>ME</sup>AE multa, et præclara, B. P. ab ipso statim florentissimi tui Pontificatus initio, abs te hæctenus, vix altero exacto anno, gesta sunt, non minus fortiter et sapienter, quàm splendide et magnifice: ea quidem, propter excelsi animi tui magnitudinem, et rerum ipsarum præstantiam, cum omnium sæculorum posteritas merito admirabitur, tum omnium gentium linguæ, et litteræ iure optimo celebrabunt. Sacellum vero Exquilinum, aut verius templum, ad sacrum Domini Præsepe, a te opere admirabili diuinitus extructum, tanto illustrius nominis tui memoriam ad æternitatem consecrabit, quanto inter ceteras clarissimas virtutes tuas, pietas, et religio magis eminent, atque elucet. Cuius ego templi pulchritudinem, et maiestatem sæpe cum admiratione considerans, tum præcipua qua-

4  
dam erga beatissimam Dei genitricem deuotione  
inflammatus, ausus sum, consilio fortasse minus  
prudenti, sed certe pio, cum tanti ædificij splen-  
dore tenuem, atque obscuram industriæ meæ  
operam coniungere, et Sacellum Augustissimum  
tribus libris, heroico carmine, & poetico peni-  
cillo non tam describere, quàm adumbrare. Hoc  
tibi, Pater Beatissime, quidquid est ingenij, aut la-  
boris do, atque dico. Sentio me grandia humi-  
liter, ampla demisse tractasse: sed tuum est, Sixte  
Maxime, qui illius in terris vicem geris, qui non  
animum ex re, sed rem ex animo æstimare solet,  
munusculi exiguitatem benignitatis tuæ abun-  
dantia subleuare. Ego certe præclare me collo-  
casse arbitrabor studium, & diligentiam meam,  
si & Sanctitati Tuæ non ingrata erunt, & viros  
ingenio, & dicendi facultate præstantes, quibus  
& domus tua, & Vrbs ipsa omnium nationum  
altrix abundat, ad idem nobilissimum argu-  
mentum felicius explicandum aliquo modo ex-  
citabunt. Deus optimus, & illa ipsa, quam adeo  
colis, & veneraris, Dei mater, te, Pater Sanctissi-  
me, quamdiutissime seruet incolumem.

DE

3  
DE SACELLO EXQVILINO

SIXTI QVINTI PONT. MAX.



LIBER PRIMVS.



VI S nouus hic ignis dulci præcordia sensu  
Pertentat? venisq. ardens exæstuat imis?  
Nescio quid magnum moueo, iuuat ire per  
altas

Exquilias, Christi infantis cunabula circum,  
Summus vbi Pastor SIXTVS, summusq. sacerdos  
Excubat, et sacro perfunctus munere, partus  
Virginei secum meditans miracula voluit.

Tu mihi Sancte Puer cælestes suggere sensus:  
Sit fas ore tuas terreno dicere laudes,  
Et superis intrare frequens plaudentibus antrum,  
Antrum, quod pecudes dudum, nunc magna receptat  
Numina, et Eoos vocat ad Præsepia Reges.  
Hoc iubet ipse Pater SIXTVS, cui fidera sacro  
Das regere imperio, et gentes pietate tueri:  
En tibi nascenti statuit venerabile templum,

Relli-

SACELLI SIXT.

Relligionis opus magnæ, cui regia cæli  
Dat plausum, et supplex cunctus prosternitur orbis,

Pallentis medium cæli taciturna per axem  
Sidereo comitante choro, se luna ferebat,  
Cum Virgo ætherei magno dignata Parentis

*B. Virgin.  
parvus in  
præsepe*

Coniugio, sancti nulla cum labe pudoris  
Edidit in stabulo diuini gaudia fetus.

*Exercitus  
Angelorū.*

Huc se posthabito aligerum demisit Olympo  
Haud numeranda cohors: aderant, qui verba Tonantis,  
Et mandata ferunt, fidas demissa per aures,

Quiq. homines, vrbesq. regunt, quiq. intima cæli  
Templa colunt, vultuq. Deum propiore tuentur.

Pars folijs decorant rimosi culmina tecti,

*Arbor  
vita  
Gen. 2.*

Et cæsos nectunt vitali ex arbore ramos,  
Quam Pater Omnipotens, minitanti fulmina cælo  
Cum iaceret, terrasq. alto misceret aquarum  
Diluuiio, tantos merito seruauit in vsus.

Pars olea, et lauro, et bene olentibus integit herbis  
Putre solum, et vario contextas flore coronas

Horrida suspendunt stabuli laquearia circum.

Attollunt alij iam cæli intenta superbis

Orbi-

LIBER I.

Orbibus aulæa, ignoto spectanda labore:

Mirum operis decus, et nullis imitabile textum.

Nam rerum Genitor diuino fecerat auro,

Et multa insignes variauerat arte figuras:

Cum tenero nondum radiarent sidera cælo.

Illic ardenti circumdatus vndique flamma

Ignescit rubus, æthereas furit ardor ad auras.

Illa videbatur rigidos absumere vepres,

Et circumuolitans nemorum per frondea pasci:

Hic tamen innocuos eludit viuuidus ignes.

At filua in media trepidanti pectore pastor

Prodigio attonitus tanto, defixa tenebat

Lumina, et oranti similis, veniamq. precanti,

Non audet propius flagrantem visere dumos:

Commotusq. graui mentem pietate, sacriq.

Relligione loci, direpto nuda cothurno

Prima pedis primi vestigia ponit in herba,

Tum parat alterius pauitans exoluere nexus.

Nec procul inde comis formosa virentibus arbor

Infernos radice lacus, et vertice nubes

Transilit, et late frondentia brachia tendit,

Qua

*Rubus ar-  
dens in-  
combustus  
EXO. 3.*

*Moyfes*

Qua nitidum æquoreis Titan caput exerit vndis,  
 Et qua colla iugo flammantia soluit equorum:  
 Quam variæ circum, ramisq. sub omnibus auras  
 Demulcent cantu volucres, summumq. cacumen  
 Alarum longo certant euincere tractu,  
 Et virides inter gaudent colludere frondes.

*Statua,  
 quæ Nabuchodo-  
 nosor vi-  
 dit in som-  
 nis*  
*Dan. 2.*

Hic quoque, mirandum, ferit arduus astra Colossus,  
 Cui fuluo capita alta auro, nitidoq. lacerti  
 Pectoraq. argento fulgent, venterq. femurq.  
 Aere rubet, duroq. riget pars infima ferro.  
 Duratura diu tam firmo corpore moles,  
 Ni sua fictilibus regeret vestigia plantis,  
 Quam parte ex alia montis de vertice saxum  
 Sponte ruens, nulloq. vrgente, per ardua præceps  
 Percussis miseram pedibus, deiecit ab alto  
 Culmine: tum sonitum perterritus hausit Olympus,  
 Diffiluitq. tremens tanto sub pondere Tellus:  
 Illa solo postquam exitiali concidit ictu,  
 Strauit, et immensos infracto corpore campos  
 In cinerem, ac tenues ibat resoluta fauillas.  
 At lapis extincta referens de mole triumphum

Cre-

Creuerat in montem, cæloq. immobilis alto  
 Intulerat caput, ac totum compleuerat orbem.  
 Stant pauidæ circum turbæ, tremefactaq. gentis  
 Pectora, et insolito rerum discrimine mærent.  
 Obriguere alij, gelidusq. in viscera sanguis  
 Intima concessit, moribundaq. membra reliquit.

Talia conspicuæ referunt miracula vestes,  
 Queis maiora latent oculis non subdita nostris:  
 Plura tamen spectanda forent, sed cetera nondum  
 Cælicolum explicuere manus, quibus obtigit omnes  
 Exornare vias, aditusq. et compita circum.

At puer, æterno soboles æquæua parenti,  
 Cui mare, cui tellus, cælumq. et sidera parent,  
 Heu pecudes inter gelida sub nocte recumbit:  
 Heu paleas, fenumq. premit, suffultus iniquo  
 Paruula membra thoro, et molles aspergit ocellos,  
 Oraq. lacrymulis, teneros dum sæuit in artus  
 Frigoris aura nocens, et sensu mordet acerbo.

Inclyta quid Virgo tacita nunc mente reuoluit?  
 Quales virginæo versat sub pectore curas?  
 An cupit æthereo grates persoluere Patri?

B

Et

*Lapis par-  
 uus in mō-  
 rem ma-  
 gnūm ex-  
 crescens  
 Christi vī-  
 soria*

*Deus in-  
 fans in se-  
 no iacens*

Et magnum pueri numen veneratur Iesu? *u. n. i. s. t. o. r. e. s. d.*

Illius an ne animo tenerum perferit amorem?

Illa filet, tepidoq. humectat lumina fletu:

Tanta subit mentem pietas natiq. patrisq.

Ipse etiam cubito mentum subnixus Ioseph

Hæret, et aspectum miserans infantis, ab imo

Corde trahit varios inter suspiria sensus.

*Anglorum  
cantus.*

Cælicolæ interea lætos dant pectore cantus

Siue vt mortales moueant dulcedine cœtus,

Atque seni, castaq. ferant solatia matri:

Siue vt diuinos pueri testentur honores,

Insolitamq. velint superum quæ pectora complet

Carmine lætitiâ terras vulgare per omnes.

*Mundi  
verum om-  
nium crea-  
tio.*

Ille canit fidibus variarum exordia rerum;

Vt liquidum in magnos cælum concreuerit orbes,

Terraq. constiterit medio suspensa barathro,

Et nemora, et lætis permixtas floribus herbas

Ediderit summi iussu genitoris in auras:

Vtq. recens primos terris ostenderit ignes

Phœbus, et obscuris lucem suffecerit astris:

Vt primum noctis lustrarit luna tenebras,

Astraq.

Astraq. sint varios cælo sortita meatus: *u. n. i. s. t. o. r. e. s. d.*

Vt Pater omnipotens, qui condidit omnia nutu,

In gentes tollentem iras, cæloq. minantem,

Vndique terrarum frænarit margine pontum.

Victrices alius gestans in vertice lauros,

Et palmam dextra, iuuenes quem mille sequuntur

Fulgentes ostro iuuenes, ac tempora lætis

Frondebis ornati, cælestia bella canebat:

Quas victi pœnas dederint, quo turbine ab alta

Sint arce eiekti: contra quæ præmia claris

Soluerit æternus scelerum victoribus ultor.

Nam superos inter quondam pulcherrimus omnes

Lucifer, inuidiæ stimulis agitatus iniquis,

Cælestisq. auidus regni, propriiq. decoris

Conscius heu nimium, summo se opponere Regi

Infando est ausus bello, dum viribus olli

Se putat esse parem, ac tantos sibi poscit honores;

Tum decus aligerum Michael, fidissima cælo

Dextera, mente ferox, iustas exardet in iras;

Sacrilegum indignans facinus, seq. obuius offert

Auctori scelerum, cuncto spectante Senatu,

*Luciferi,  
et Ange-  
lorum re-  
bellium e  
cælo deie-  
ctio.*

Ac tales fundit minitanti pectore voces:

Quem petis infelix? quo te furor impius vrget?

Tu ne Deo similis? cui nam te iura daturum

Sperasti demens? sceptrum immortale capeffes?

Ipsa ne te cæli conclament atria regem?

Fas ne animo tantum de te tibi perfide fingis?

Te Deus omnipotens, qui numine terret Olympum,

Ac te perpetuæ donauit munere lucis;

Cui geris immani pollutum crimine bellum,

*Michaelis* Hinc procul ire iubet. Vix hæc effuderat ille,

*victoria.*

Cum fracti cecidere animi, cecidere furores.

Nec mora cælicolæ, generosi militis instar,

Cui palmæ arrectas auget fiducia vires,

Vnanimes ipsumq. ducem, cuneosq. rebelles

Agmine circumstant denso, totoq. repente

Palantes agitant cælo, foribusq. reuulsis,

Limine deturbant patrio. Non obstitit vllus:

Non contra obniti: iuuenum non scuta prementum

Respicere est ausus dirum spirantia letum.

Exin præcipites rabidarumq. ora ferarum

Indutos, nebulas inter flammamq. sequaces

Vlrix

Vlrix horribili tellus excepit hiatu:

Commeritas illic scelerum per sæcula pœnas

Inuiti soluent, nec erit spes vlla salutis.

Aliger ast alius, comitum plaudente corona,

Ardua purpureis tranabat nubila pennis,

Spargebatq. modos magnum per inane canoros:

Et sacro vt primum pueri superastitit antro,

Humanos leni deflebat carmine casus,

Et veterem antiqui labem referebat Adami.

Quem Pater aligerum, cum iam mare, sidera, cælum,

Telluremq. suo statuisset pondere, molli

Finxerat argilla, et viridanti in sede locarat

Mentis participem: longos vbi lætus in annos

Curarum expertem potuisset ducere vitam:

Ni sacra diuini spreuisset iussa Parentis,

Dum nimium vxoris blando concessit amori.

Cui rex vmbrarum per florea rura vaganti

Vipeream indutus faciem, sese impiger vltro

Obtulit, ac tali deceptam fraude fefellit:

Pomaq. mirantem grauibus pendentia ramis,

Nutantemq. diu tandem spe flectit inani,

Ac

*causam*  
*eluctatione*

*Primi*  
*hominis*  
*creatio*

*Damo-*  
*nis infi-*  
*dia, qui-*  
*bus Heuā*  
*decepit.*



Ac docet e vetito fetus decerpere ligno; *dimordit arbor*

Quæ simul ac dextram folijs iniecit amatis,

Et pomum infelix auido vix ore momordit,

Coniugis heu mentem venturi nescia casus;

Impulit oblato cunctantem munere vesci.

Ille autem pomi latitans sub cortice virus,

Aeternamq. hausit breuia inter gaudia mortem;

*Peccatum originale.* Seq. suamq. graui maculauit crimine gentem.

Hæc illi sacro postquam cecinere sub antro

Et vacuum vario complerunt æthera cantu:

Nuncius ætheræ Gabriel certissimus aulæ,

Egregius forma et nitido conspectus in auro;

Qui sacra detulerat cælo mandata parentis,

Virginis ad sedem, roseo sic ore profatur:

Cetera tum pubes cœtu stipata frequenti

Constitit ora tenens dictis intenta loquentis.

*Gabrielis oratio.* Venisti tandem cælo subuecta sereno

Alma dies orbi tot iam expectata per annos,

Qua Rex cælicolum, et magni fabricator olympi

*Isa. 45.* Optatum liquidis demisit nubibus imbrem:

Atque hominum nullo tellus exercita cultu

Fudit

Fudit odorato diuinum germine florem. *Isa. 11.*

Iam vetus horribicos cæli inclementia vultus,

Et rabidos posuit diffusa luce furores,

Nec iam fulminibus trepidantes territat vrbes.

O fortunatam, si talia munera norit,

Humanam gentem, summi quam chara parentis

Funere progenies vltro moritura cruento

Dæmonis eripiet manibus, proprioq. piabit

Sanguine, et innocuam radiantibus inferet astris.

Vos o Pastorum felicibus orta sub annis

Agmina, quæ comitum iussis accita meorum

Posthabitis gregibus, sanctum properastis ad antrum:

Incassum rapidas ferri mea dicta per auras

Ne finite, ad seros olim ventura nepotes.

Hic dudum in miseras lucis qui prodijt oras,

Aspera qui gelidæ persentit frigora noctis,

Et crebris gemitum singultibus interrumpit:

Hic puer, hic est, quem vatum monumenta piorum,

Et summo toties delapsa oracula cælo

Promisere, sacris regeret qui legibus orbem,

Ac turpes aras, scelerataq. templa, deosq.

*Christus  
infans ve-  
rus Deus.*

Per-

Perderet infames, stygiosq. aboleret honores

Hic ille est, magnas rerum qui torquet habenas,

Et superos, hominesq. creat, pluuiasq. niuesq.

Demittit cælo, et viridi nemora omnia fronde,

Immensosq. nouo conuëstit gramine campos:

Irrigat et liquidis sitientes fontibus herbas,

Lætaq. diffundit varios per prata colores.

Hic soli ac lunæ, cunctis hic imperat astris;

Immanesq. poli spatij ingentibus orbis

Æterno ciet imperio, diuersaq. motu

Tempora constituit nullo mutabilis æuo:

Et stellis aptam fulgentibus incolit arcem,

Aligerum glomeratæ acies, cui mille ministrant;

Cælestumq. hilarat præfenti pectora vultu,

Atque animis se se insinuat, penitusq. latentes

Collustrat sensus, tenebras, curasq. resoluit,

Mortalesq. hebetat manifesto numine visus.

Hic quondam assuevit iaculari fulmine montes,

Et rapido trepidas inuoluere turbine terras.

Hic nimbo densisq. diem commiscuit vmbris,

Cunctaq. in obscenum conuertit stagna cruorem,

Ac

Ac diro extinxit vindex tot millia ferro

Corpora natorum scelus ob crudele Tyranni,

Et Pharias equitum turmas, currusq. rotasq.

Armaq. mista viris strepitantibus obruit vndis;

Hic quoque perpetuis vrget scelera omnia pœnis,

Et claros virtute viros cælestibus auget

Muneribus, cæliq. alacres in sede reponit.

At nunc mortales, sine viribus induit artus,

Accessitq. humiles, humili sub imagine, sedes,

Nec proprium paruo contactum corpore Numen

Apparere finit, mortem ne terreat atram;

Dum cupit ob noxas hominum deponere vitam.

Tantum primæui sobolem dilexit Adami.

Salue magne Puer magni veneranda Parentis

Progenies, quæ cuncta regis, cui seruit olympus,

Subijciturq. tremens nutanti vertice mundus:

Desine frigidulis gelidas vagitibus auras

Implere, et fletu mortalia flectere corda.

Ferreus ah nimium, qui te cum viderit, imo

Non gemat ille animo, lacrymis effusus obortis.

Te veniente, redit pietas, verumq. fidesq.

C

Se

Exo. 11.

Exo. 14.

Plage Æ-

gypti.

Exo. 10.

Exo. 7.

Septaq. virginibus terras pax alma reuifit, omnes orbis A  
 Felices terras, folioq. refedit auito,  
 Cui placido delapfa polo comes astitit vltro  
 Iuftitia, et prifco gaudet iam reddita Regno,  
 Ambæ oftro infignes, euinctæ frondibus ambæ  
 Dulcia libarunt lato fimul ofcula vultu,  
 Et ftabili fidas iunxerunt fœdere dextras.

*Iuftitia, et  
pax ofcu-  
lata funt.  
Pſ. 48.*

At tua cum teneros ætas euafert annos,  
 Et crucis optata defunctus morte, facrati  
 Corporis attractu lignum ferale beabis,  
 Aftraq. nota petes, magno præeunte triumpho;  
 Sacrorum finet infandos gens impia ritus,  
 Atque atris vigilem eripiet penetralibus ignem,  
 Nec redimita geret funeftis cornua fertis  
 Victima fanguineos inter macltanda ministros,  
 Aut moriens tabo crudeles imbuet aras,  
 Nec fimulacra deum collapsis obruta templis,  
 Feta dolis reddent adytis refponfa reclusis;  
 Nec falſa illudent pauidas formidine mentes.  
 En turbata fremunt iam nunc Ægyptia regna,  
 Aruaq. cæruleus fluuio, quæ lambit Araxes.

*Idolola-  
tria extim-  
dio.*

Et

Et Phrygiæ, Illyricæq. vrbes, et Caſpia tellus,  
 Impiaq. infandi ſacraria dæmonis horrent.  
 Iamq. tuum Oceani ſenſerunt littora nomen  
 Vltima, et auroræ populi, Nomadesq. Syriq.  
 Medorumq. Arabumq. genus, mollesq. Sabæi.  
 Mox aderunt reges extrema orientis ab ora,  
 Sideris afpectu moniti, pia dona ferentes;  
 Namque olim audierant veterum ſermone parentum  
 Cum noua purpureo primum fulgeret olympo  
 Stella, procul, noctisq. atras depelleret vmbraſ,  
 Atque ipſum inſolito ſuperaret lumine ſolem:  
 Æthere delapſum terris tunc affore Regem,  
 Quo regnante, pias ſeruarent ſæcula leges,  
 Et rerum genitor merito potiretur honore.  
 Quid moror? et cunctas memorem longo ordine gentes?  
 Iam te Roma colit ſuperis gratiffima ſedes,  
 Quæ partu heroum felix, ſubnixaq. ſeptem  
 Arcibus inſurgit, ſummo velut æmula cælo,  
 Et magno premit imperio terrasq. fretumq.  
 Ille etenim picto fulgens Auguſtus in oftro,  
 Aurea qui domitum victor dat iura per orbem,

*Tres Mo-  
gi reges.*

ROMA

Augustus

C 2

Vir-

Virgineis vbi te puerum conspexit in vlnis  
 Æthera per sudum manifesto lumine ferri  
 Talibus imposuit Capitoli in vertice supplex  
*Ara cali.* Auspicijs aram , et sacros tibi soluit honores .  
 Quin etiam clari flauas prope Tibridis vndas ;  
 Insignis pietate domus , pro munere miles  
*Fons olei.* Quam tenet emeritus , bibulum saliente per æquor  
 Huc illuc oleo , visu mirabile , fluxit .  
 Ingens prodigium : dabitur Romane quod olim  
 Tot sacri haud dubio cecinerunt carmine vates ,  
 Te fore , qui positis armis , fastuq. superbo ,  
*Romano- rum pie- tas et re- ligio.* Fallacesq. deum effigies , moresq. nefandos  
 Exofus , vera populos pietate foueres .  
 Quæ tua tunc virtus ? quæ relligionis imago ?  
 Quis rerum status ? et castis quæ munera templis ?  
 Ipsa renascentem gaudens mirabitur Urbem  
 Roma suam , et superis melior noua templa sacrabit ,  
 Et puerum , matremq. simul , magnumq. parentem  
 Ante pias vltro lacrymans venerabitur aras ;  
 Hoc etiam tanto specus admirabile partu ,  
 Immensum per iter studio petet excita miro ,

Et

Et calidum ex oculis fundet miserantibus imbrem ,  
 Crebraq. suppliciter sacrae dabit oscula terræ ;  
 Has autem paleas , atque hæc præsepia secum  
 Auferet , et summo venerans in monte locabit ,  
 ( Exquillas olim veteres dixere Quirites )  
 Rex vbi Romanus pacem , seu bella pararet ,  
 Iura dabat populo Tullus , legesq. ferebat ;  
 Et nunc femineos vteri Lucina labores  
 Audire ac ter opem oranti dare credita matri ,  
 Horrendo colitur luco : sic finxit auorum  
 Cæca superstitio ad miseros deducta nepotes .  
 Hic tu rite locum templo sanctissima Virgo  
 Optabis , totam spectes quo comminus urbem  
 Orantum auditura preces , finemq. nefandis  
 Allatura malis , namque æthere lapsa silenti ;  
 Dum placidos carpunt mortalia pectora somnos ;  
 Egregium virtute senem , claraq. Quiritum  
 Nobilitate grauem , terris , opibusq. potentem ,  
 Qui tibi se totum , ac tantas deuouerit vltro  
 Diuitias , heredis inops , miserata monebis ,  
 Huius vt in celso montis tibi vertice sedem

*Trans-  
tio Præse-  
pis in ur-  
bem Ro-  
mam.*

*Tullus  
Hostilius.*

*Lucus Lu-  
cinae.*

*Templum  
S. Mariae  
ad nives.*

*Io. Patri-  
tius Ro-  
manus.*

Ex-

Extruat, ac tacito cum sol affulserit orbi,  
 Aduolet huc, cuncto Patrum comitante Senatu;  
 Æquoris et quantum tegeter demissa polo nix;  
 Tantum delubri moles complexa, sub auras  
 Erigeret sese, et stellis propiora teneret  
 Mane Heros, sanctusq. Pater, duplexq. Senatus,  
 Exquiliis venient, mistum fluet vndique vulgus,  
 Et proprijs cernes conuulsam sedibus urbem,  
 Huc ruere, ac totum concursu feruere montem.  
 Quos plausus pia turba dabit? quo pectore laudes  
 Concinet illa tuas? studio quo gestiet ipsas  
 Attrectare niues alieno tempore lapsas,  
 Syrius in terras cælo cum perfurit ardor?  
 Tum latas longo signabunt limite fossas  
 Et sacra, te stimulante, citi fundamenta ponent;  
 Nec mora longa ingens confurget ad æthera templum.  
 Hic tua prodigijs horrens statuetur imago,  
 Quæ, cum dira lues, et letifer ingruet annus,  
 Romanam horribili soluet formidine gentem,  
 Quam leto eripiet lacrymis perculsa precantum,  
 Et pompa ingenti funestam ducta per urbem.

Niuis est  
 na mira-  
 culum.

Fundatio  
 templi S.  
 Maria ad  
 niues.

B. Virgin.  
 imago mi-  
 raculis  
 clara.

B. Virgo  
 Romæ pe-  
 silitate li-  
 beravit.

Hic

Hic quoque parua tui populus cunabula nati  
 Afficiet donis pulchro composita sacello;  
 Ingentem quorum assidue celebrabit honorem,  
 Donec cæruleo demissus ab æthere Pastor,  
 Pastor, Io, nimium felix, diuinitus ingens  
 Imperium accipiat; totum quo temperet orbem,  
 Et magnos cæli valeat recludere postes  
 Maximus ingenio, et præstanti pectore SIXTVS,  
 Imperio cuius rerum vis nulla resistet.  
 Ille tuam egregio decorabit munere sedem  
 O Virgo, qua non erit altera pulchrior vsquam.  
 Sic manibus suscepta tuis benefacta rependet,  
 (Qua terrena tenus diuinis munera donis  
 Respondere queunt, studiumq. animusq. ferentis)  
 Namque nouo, insigni fretus pietate, vetustum  
 Augebit templum templo; quo funditus omne  
 Transferat antiqua conuulsam sede sacellum;  
 Quod sobolis veneranda tuæ præfepia condet.  
 O pietas virtusq. viri, spectandaq. magnis  
 Relligio rebus; vos o cælestia mecum  
 Pectora purpureos vulgo diffundite flores;

Præfepo  
 Domini.

SIXTVS  
 Dei promi-  
 ditiamun-  
 do datus.

SIXTVS  
 curuloq.  
 sedis

SIXTI  
 gratitudo  
 erga Bea-  
 tam Vir-  
 ginem.

SIXTI  
 egregia  
 virtutes.

Et

Et magnum venturi extollite ad æthera nomen,

Non alio tantum gaudebit Principe tellus,

Nec tam felices vñquam admirabitur annos.

SIXTI  
veneran-  
dus aspe-  
ctus.

Iam videor coram diuinis cernere vultus,

Et capitis decus egregium, pressamq. coruscis

Caniciem sanctam gemmis, auroq. nitentem.

Salve magne Pater, totus cui seruiet orbis,

Et subdet rigidos humana potentia fasces.

Te metuent scelera, et fractis audacia telis,

SIXTVS  
scelerum  
vindex.

Te prædæ sceleratus amor, te sparsa recenti

Cæde manus, trepidoq. furor tremet abditus antro,

Ceu cum magnanimus, nemora inter opaca cruento

Infremit ore leo: stabulis tremefacta relictis

Horrescunt, nequeuntq. feros animalia visus,

Aspectumq. trucem, et fremitus perferre minaces;

Dulcia tunc referes florentibus otia terris;

Romuleamq. sacris compones legibus Urbem,

Vnde aliæ accipiant cælestia munera gentes.

Iamq. age rumpe moras, cupidoq. illabere mundo,

Nascere iam tandem, et summi cape sancta Parentis

Sceptra manu, et cunctas perfer pia iura per vrbes,

Egre-

Egregiusq. animi, subito molire, quod optas,

Huic Pueri templum, quo non augustius vllum.

O quoties illic iuxta hæc præsepia supplex

Perpetuam populis pacem, certumq. salutis

Acceptæ studium, et veræ pietatis amorem

Exposces precibus? referes quæcumque rogabis,

Nec magnus tua vota Puer finet irrita ferri.

Cumq. dies aderit cæli reuoluta per orbis,

Qua tener hic Infans casta se Virginis aluo

Extulit, ac dio compleuit lumine mundum,

Aurea dum tacito labuntur sidera cælo,

Infomnis celsa medium te sede locabis;

Purpureo Patrum circumspectante Senatu.

At chorus interea vario discrimine vocum

Mystica rite canet sacrati carmina vatis,

Quæ cecinit quondam diuini numinis haustu,

Virginei partus meritas referentia laudes;

Tunc lacrymis vigiles oculos, faciemq. rigabis,

Intentam circumuoluens per singula mentem,

Et Puerum Matremq. pio miseratus amore;

Mox rem diuinam, sacris de more paratis,

E I

D

Tu

SIXTI  
preces ad  
præsepe.

SIXTI  
excubia  
ad præsepe.

SIXTI  
excubia  
ad præsepe.

Psalmi  
Davidis

SIXTVS  
ad præsepe  
sacrificans.

Tu niuea perages indutus veste sacerdos,

Tuq. aris pia dona dabis: vapor ibit ad auras

Thureus, et late diuinum sparget odorem.

Incensum facibus templum, flammisq. refulgens

Vndique, sidereum radijs imitabitur orbem,

Atque oculos animosq. trahet populiq. patrumq.

Et varia mentes hilarabit imagine rerum,

Pars aræ impositum sacræ mirabitur aurum,

Et clari artificum studijs, auroq. micantis,

Æmula cælicolum domibus fastigia templi,

Et spatijs contra paribus digesta per æquor

Marmora marmoreum, cæbalijs onerata columnis,

Insignesq. notis lapides, maculisq. superbos,

Conceptam penitus longe diffundere lucem

Ardentesq. faces, vultusq. referre tuentum.

Cetera mirantum stupefacto pectora corde,

Hærebunt miro picturæ capta decore,

Et varijs pascent oculos, animumq. figuris.

## DE SACELLO EXQVILINO

SIXTI V. PONT. MAX.



LIBER SECVNDVS.



ALIA veridico iuuenis dum funderet ore

Excipit exultans animo longæuus Ioseph:

Dic age, dic Gabriel, superæ decus inclyte

pubis,

Quæ fore sub claro memoras spectacula templo?

Quam rerum seriem? puras quæ dona per aras?

Quæ sacra? quas pompas? nullus mihi gratior vnquam

Nuncius, aut dictis æque felicibus aures

Attigit, aut tanta mentem dulcedine mouit:

Perge precor, cunctasq. suo res ordine pande:

En sonitum liquidi fontes, nemora omnia murmur,

Et vaga præcipites tenuerunt flumina cursus;

Omnibus vna quies, et mira silentia terris:

Ipsè suos audire Puer lætatur honores:

Nam simul ac dulci soluisti carminè linguam;

Frigoris oblitus, lacrymas, gemitusq. repressit.

ilqms T  
veiltzcmf  
siqirzleb

Ioseph  
accurati-  
us templū  
describi po-  
ssulat.

BRN  
M N  
GOM

leche  
leche

leche  
leche

Templi a  
Sixto con-  
diti pul-  
chritudo  
& maie-  
stas.

SIXTI  
-arg  
-leche

T

Dixerat hæc senior; contra sic reddidit Ales: A S E D

*Templi  
subtilior  
descriptio*

Non equidem excelsi valeam miracula templi  
Omnia tam paruo complecti temporis orbe:  
Illa tamen referam breuiter, quæ cetera longe  
Exuperant, animosq. magis memorata mouebunt.

*Christi ge-  
nealogia,  
in templo  
depicta.  
Matth. I*

Illic antiquo Solymùm de sanguine Reges  
Heroasq. Ducesq. omnes longo ordine circum  
Viuo spirantes vultu spectare licebit,  
Vnde tuum, Pueriq. genus, castæq. Parentis  
Ars tantum poterit veros imitata colores,  
Aufaq. naturæ mirandum æquare laborem.  
Namque illic aderit longo venerabilis æuo

*ABRA-  
AM.*

*Gen. 22.*

Hebræum genitor Tyrio succinctus amictu,  
Atque acer strictum insurgens Abramus in enssem,  
Quem iuxta iuuenis, pedibus, manibusq. bidentum  
In morem vinctus, tristi mactandus in ara,  
Et propria stabit sparsurus cæde fauillas,  
Numinis imperio: talem imperterritus vltro  
Ille necem, vt nosti, constanti mente tulisset,  
Et patrio pariter cecidisset saucius ictu,  
Ni celer e cælo reuocasset voce parentem,

Et

Et capiti instantem tenuisset nuncius enssem:

Tantum siderei potuerunt iussa Tonantis.  
Hinc senior supetas oculos conuertet in auras,  
Astraq. suspiciet nitido radiantia cælo,  
Conscia tanti animi, et propriæ prænuncia gentis.

Post, natus tanto dignus genitore sequetur,  
Inclytus ob sacrum, quem rite subiuerat, enssem,  
Oblatamq. animam, si numina forte tulissent,  
Isacius pulchram qualis cum duxerat olim  
Vxorem, grauidasq. manu prætendet aristas.  
Nec deerit rubris aries interlita guttis  
Vellera; et hirsutis horrentia cornua dumis  
Ostentans; calido rigidos qui sanguine cultros  
Asperfit patris, chari pro funere nati.

Tu quoque tot reges inter spectabere Pastor,  
Ausus cum superis validos sine more lacertos  
Conferere, ac totam pugna consumere noctem:  
Testis noctiuago tacitum quæ conterit axe  
Luna polum, pulsusq. rubens aurora tenebris,  
Contractumq. femur, neruo cedente prementis  
Aligeri manibus; summi haud sine numine regis.

*ISAAC  
Gen. 24.*

*JACOB*

*Lucta Ia-  
cob cū An-  
gelo.  
Gen. 32.*

*Iacob  
claudus.  
Gen. 32.*

Tu



Tu tamen e tanto referens certamine laudem

Æternumq. decus, meritum, & memorabile nomen

Ante alios rerum et pecoris ditissimus omnes

Felicem senior potuisti degere vitam;

*Transmi-  
gratio Ia-  
cob in Æ-  
gyptum.  
Gen. 46.* Ac ducente Deo, cuncta cum gente tuorum

*IOSEPH* Externum populum, atque alienos quærere campos,

Niliacasq. habitare domos, vbi filius olim

Ille tuus, regisq. vices, munusq. gerebat,

*Ioseph to-  
rius regni  
Ægypti  
guberna-  
tor.  
Gen. 41.* Tot magnos inter tanto dignatus honore

Imperij proceres, Phario quòd visa tyranno

In somnis, rerum interpres, arcana retexit,

Quem toties vdo flebas miserabilis ore;

Nam fraterna manus, furijs incensa, nefando

*Ioseph ve-  
nundatus  
a fratri-  
bus.  
Gen. 37.* Vendiderat pretio innocuum, et nil tale merentem;

Tunc atro pecudis fœdauit sanguine vestem

Illius, ac ficta mendax te cæde fefellit.

*I E S S E* Haud procul hinc aberit præstanti corpore Iesseus

Annofo innixus trunco, tener vnde sub auras

*Virga  
Iesse.  
Isa. 11.* Surculus exhibit fundens e vertice florem;

Purpureum, æthereo circum quem plurimus auro

Errabit decor, et multo cum lumine fulgor;

Puni-

Puniceamq. comam placide leuis aura mouebit,

Et folij insolitum suaue spirantis odorem

Ad conuexa feret nitidi laquearia templi.

Hoc tu sancte Puer quondam sub flore latebas,

Cum nondum e casta sumpfisses Virgine corpus,

Qui superas quidquid tellus fert Dædala florum,

Et quoscumque suis infundit rebus odores:

At nunc tam pulchro rapies simul omnia vultu,

Contraq. succendes cælestibus intima flammis:

Iamq. omnes studio ingenti matresq. viriq.

Longæuiq. senes, pueri, castæq. puellæ,

Haud metuent rigidam per dira incendia mortem

Oppetere, et proprio restinguere sanguine flammam,

Per mediosq. ruent animis ardentibus enses:

Et maris audebunt rabidas procurrere in vndas,

Membraq. præduris vltro laceranda ferarum.

Dentibus obijcere, vt diuinis inter odores,

Perpetuam tecum valeant producere vitam,

Et redimire tuis victricia tempora fertis.

Hic etiam aurata fulgens in veste Dauides

Mortales neruis continget dulcibus aures

Dixe-

*Flos vir-  
ga radice  
Iesse, Chri-  
sti figura.*

*Martyres  
Christi.*

*DAVID.*

Cælestemq. animis cantu inspirabit amorem, *pinnaculum*

Quo dum Bethlemias valles, collesq. tenebat

Fecundi pecoris custos, pulcherq. iuuenta,

Auratumq. gerens rosea ceruice capillum;

Vmbriferos olim saltus, et saxa trahebat,

Ac diro Hebræum soluebat dæmone regem.

Quantam hic virtutem puerili in pectore gessit,

Et se se ad cælum quàm fortibus extulit ausis?

Horribiles quoties vrsos, rabidosq. leones

Feruidus inuasit, dextraq. oppressit inermi?

Illi nequidquam gemitu caua saxa replebant,

Et pueri molles prensabant vnguibus artus;

Quin etiam nondum teneris excefferat annis,

Cum telo fretus nullo, ferroue gigantem

Aspectu horrendum, et vasta se mole ferentem,

Gestantemq. ingens immani cuspide robur,

Atque animo temere iactantem multa tument;

Numen in arma vocans, letalis turbine fundæ

Perculit, et campo exanimem prostravit aperto.

Tum magno ipsius, victor, caput ense superbum

Abscidit, ac suspensa ferens immania quercu

*David, pavor, et in ignis forma. Reg. 16.*

*David lyra cantu liberabat Saulem regem a dæmone. Reg. 16.*

*David adhuc puer, vrsos et leones interficiebat. Reg. 17.*

*Goliath. Reg. 17.*

*Pugna et victoria Davidis de Goliath.*

*Reg. 17.*

*Trophæum, ac triumphus Davidis de Goliath. Reg. 17.*

Arma

Arma ferumq. enses, capitisq. immobile pondus

Infolito meruit decus immortale triumpho.

Proximus huic pulchro Salomon se corpore tollet

Insignis facie, & claro spectabilis ostro,

Discere cui licuit cunctas diuinitus artes

Naturæ, et causas rerum penetrare latentes,

Bellorum procul a curis, quibus inclyta regum

Pectora torquentur: regni nam scepra tenentem

Aurea, per populos placido pax alma fouebat

Imperio, comitum cœtu stipata suarum,

Externosq. illi iungebat fœdere reges.

Aurea tunc vere tenuerunt sæcula terras,

Et solymas castis ornabat moribus vrbes,

Firmabatq. suo sacratas numine leges

Iustitia, atque hominum vinculis fera corda premebat.

Tunc primum Pater omnipotens tibi condere sedem

In terris placuit, facilesq. precantibus aures

Dedere, et humanos propius cognoscere casus.

Ille tuis etenim monitis, iussisq. superbum

Extruxit templum, et supplex tibi rite sacrauit,

Cui solidas niueo posuit pro marmore gemmas,

*SALOMON. Reg. 3.*

*Sapientia Salomonis. Reg. 4.*

*Salomon rex pacificus. Reg. 4.*

*Templum Salomonis. Reg. 6.*

E

Aura-

Auratasq. trabes, geminasq. ex ære columnas  
 Ingentes, adytisq. sacram in penetralibus aram  
 Auro perfectam claro, quo tecta micabat  
 Interior templi facies, circumq. supraq. :  
 Aureus aduerso paries radiabat ab auro,  
 Ac totum miro spargebat lumine templum,  
 Hic responsa dabat miseris præsentia rebus,  
 Ipse Deus, curisq. animos, mentesq. leuabat.

Cetera quid memorem Solymorum nomina regum?

Factaq. iam pridem sacris concredita chartis?  
 Me rapit ille opifex rerum, qui summa tenebit  
 Culmina delubri, et propria se luce recondet:  
 Qualis in immenso gradiens spatiatur olympe  
 Lucentesq. premit, superis mirantibus, orbes,  
 Atque humiles fixo despectat lumine terras,  
 Et spargit manibus cælestia munera plenis;  
 Illinc Augustam complebit numine sedem,  
 Quam cælo similem faciet, magnoq. fouebit  
 Desuper infusus gremio. Noua regia tantum,  
 Atque oblata sibi a SIXTO pia dona placebunt.

Ast in sublimi, o senior, testudine templi

Cernes

Cernes multiplici superos discrimine ciues  
 Dispositos circum, veluti stant æthere in alto  
 Diuino coram vultu, tam veste, locisq.  
 Munere quàm varios: meritas pars carmine laudes  
 Infantis Christi referet, pars fila mouebit  
 Disparibus fociata modis, animosq. sonoro  
 Attonitos reddet cantu; pars lilia fundet,  
 Purpureis commista rosis, casiasq. crocumq.  
 Cetera tum pubes pronò venerabitur ore  
 Depressum sacra penitus tellure sacellum;  
 Hæc sancto veneranda sinu cunabula seruans,  
 Quod tu SIXTE Pater virtute ingentior astris,  
 Et rebus merito magnis oriture gerendis;  
 Diuino Pueri mentem succensus amore,  
 Vndique contextum trabibus ferroq. reuinctum,  
 Mirandum visu, ne parte fatisceret vlla,  
 Viribus auulsum validis, imoq. repente  
 Sublatum fundo facili descendere lapsu  
 Iusseris, et medio penitus succedere templo.  
 Illud ab extremo properantes littore gentes  
 Cærtatim inuisent, patrias nec linquere terras,

E 2.

Nec

Ordines  
 Angelorum

Transla-  
 tio vetusti  
 sacelli.

Concur-  
 sus omniū  
 gentium  
 ad præse-  
 pe.

Dei maiestas in summo templi culmine.

Templi fornix in cæli effigiem conformatus.

Nec cæli, pelagiq. minas, longumq. viarum, *illum montes*  
Succensæ hoc studio, metuent tolerare laborem.

Quin vbi Romuleos dabitur conscendere colles,  
Celsaq. prospicere optati fastigia templi,  
Ac super obducto liuentia culmina plumbo,

*Cruce supra montes, & fides, Sixti insignia.*

Et sanctæ sacra signa crucis radiantia longe,  
Montibus aerijs, et sidere fulta micanti:  
Immensam tollent vocem, latoq. frequentes  
Ore salutabunt montesq. astrumq. crucemq.  
Æquatamq. polo sublimi vertice sedem.

At cum prima ferent claras vestigia propter  
Exquilijs, alacresq. nouam propioribus ædem

*Religio ac reuerentia gentium erga Exquilinum sacellum.*

Suspicient oculis; tellurem montis amati,  
Tellurem sanctam haud pedibus calcare profanis,  
Nec sacrum adebunt plantis contingere limen,  
Submissæq. solum genibus, templumq. subibunt;

*Singularis pietas et deuotio gentium orantium ad præsepe.*

Et simul ante aram passis per colla capillis  
Prosternent sese, et labris sacra marmora lambent;  
Tum Matris Pueriq. iacentis imagine captæ  
Indignamq. pio miserantes pectore fortem,  
Et quos ob noxas hominum feret ille labores;

Corde

Corde dabunt gemitus, et pugnis pectora tundent,  
Poscentes precibus pacem, veniamq. petentes.  
Plurimus interea ex oculis rorantibus humor  
Defluet, ac tepido perfundet flumine templum.

Quæ nunc, o Virgo, surgit tibi corde voluptas?  
Et noua suspensam permulcent gaudia mentem?  
An templi ornatum, ac tantos miraris honores,  
Et Pueri decora alta tui? an tibi præscia mens est  
Tantarum in serie rerum, monumenta pudoris,  
Virtutisq. tuæ; proprio te lumine circum  
Didita visuram egregius quæ plurimam pictor  
Efficiet, meritumq. manu decus addet, et auro?

Namque videbis vti cælestes magna per auras  
Nuncius attulerim summi tibi iussa Parentis,  
Qui tua diuino compleuit viscera fetu:  
Talem te Virgo radianti in lumine finget  
Nobilis arte manus, qualem decorauerat ipse  
Omnipotens genitor, cælo cum iussit ab alto  
Me sedes penetrare tuas; quo tempore diuos  
Ut vidi vultus (fateor) stupefactus inhæsi.  
Tantum Virgineo spirans decus ore nitebat.

Hinc

*Mysteria B. Virginis depicta.*

*Annunciatio B. Virginis. Lucæ 1.*

Hinc etiam læto confurgent vertice colles, iudæ ab æbro  
 Qua sacra fecisti teneris vestigia plantis,  
 Matris visendæ studio, cui nulla fuisset  
 Suscepta ex utero soboles melioribus annis;  
 Tum vero inualidos ætas cum ferior artus  
 Iam premeret, veteri meruit coniuncta marito  
 Concipere annosa puerum diuinitus aluo,  
 Mortales inter magnum pietate futurum:  
 Nam deserta petet, primis exosus ab annis  
 Humanos cætus, tenui ne crimine vitam  
 Inficiat, claroq. animum disiungat olympo.  
 Non ille assyrio procedet murice fulgens,  
 Nec lautas epulis mensas onerabit opimis;  
 Omnia despiciet; lætæ non dulcia vitis  
 Munera, non auido mites bibet ore liquores:  
 Sed cælo intentus, saxosisq. abditus antris,  
 Induet hirsutis horrentia tegmina fetis,  
 Immissamq. geret barbam, impexumq. capillum.  
 Olli perpetuo facilem siluestria victum  
 Mella dabunt, raucoq. cadens de rupe susurro  
 Detrahet vnda sitim. Felix cui fas erit vni,

Visitatio  
 B. Vir. ad  
 Elisabeth  
 Lucæ I.

S. Ioan-  
 nes Bapt.  
 Lucæ I.

Cæru-

Cæruleum vitrei quondam Jordanis ad amnem cupibus  
 Spargere fonte tui corpus venerabile Nati.  
 Tum sacer attonitis fluius mirabitur vndis,  
 Et Genitor nitido demittet ab æthere vocem.  
 Ingentem, tonitruq. polum terramq. ciebit.  
 Desuper interea, vibrati fulguris instar,  
 Candida decurret, nimbo comitante, columba;  
 Ter totam sancti lustrabit fluminis oram,  
 Ter crines circum roseos volitabit IESU;  
 Mox alis nitens, diuino in vertice sistet,  
 Et flammis cælum, et felices vestiet vndas.  
 Parte alia placido excipiet lætissima vultu  
 Amplexus matrona tuos: oculisq. tepentes  
 Excutiet lacrymas, animo exultante, voluptas;  
 Tuq. iubar geminum iactare videberis alto  
 Vertice, plena Deo, et mortali Virgine maior:  
 Ast anus aspectum, et vocem admirata loquentis,  
 Attonitæ similis, dextram complexa, manebit,  
 Atque tuis canum radijs accensa capillum,  
 Immensum totis sparget laquearibus ignem;  
 Non secus ac multo nubes circumdata sole,

Christi ba-  
 ptismus.  
 Marcii.

depo  
 in vno  
 deo  
 . . . . .  
 . . . . .

Congres-  
 sus B. Vir.  
 cum Eli-  
 sabeth.  
 Lucæ I.

Vndi-

Vndique inardescit, liquidasq. per ætheris auras

Explicat ingentes alieno lumine flammæ:

Ipsa repercussam conuoluent ardua lucem

Atria, cælicolum sedes imitata flagrantes.

Hic quoque te senior populus cum Virgine cernet

Ciuiibus immistum propriæ ad tabularia gentis

Sistere, maioresq. tuos, nomenq. daturum

Cæsaris imperio, totum qui iusserat orbem

Describi, longo populis dum tempore victis

Inclyta Romanas coleret victoria turre,

Et pax purpureos oleis euincta capillos,

Quadriugoq. sedens curru, flammæq. cruentis

Intentans armis, placidas inuiseret vrbes.

Hinc sese clari moles miranda sepulchri

Eriget, et varios lapidum ostentabit honores,

Gemmarumq. decus, nitidis innixa columnis,

Quæ saxo assurgent virides imitante smaragdos.

Hic, tu SIXTE, PII, sacrum qui gesserit orbis,

Et cæli imperium, pario de marmore signum,

Muneris accepti memor, immortalale locabis,

Ossaq. sancta simul, longo delata per urbem

Agmi-

Agmine flammæ, magnoq. imposta feretro:

Hic pietate potens armis, votisq. rebelles

Christe tuos, propriij regnum discindere Regis,

Sacrilegasq. manus hastis onerare nefandis

Haud veritos; belliq. ducem per tela furentem

Perfida, prosternet, viuisq. cadauera fundet

Corporibus congesta super; namque impia campis

Agmina bellantum, strictos glomerata per enses,

Cælicolum validis occumbent obruta telis.

Tunc saltus, alpesq. tremant, magnusq. Garumna

Terribilem belli strepitum, tormentaq. flammis,

Horriferoq. tremenda sono, reboantia longe

Audiet, et madidum trepido caput exeret anne,

Et stragis procul horrendæ spectabit aceruos,

Aruaq. Pictonum multo fœdata cruore.

Tum lætos cælo conuertet Gallia vultus,

Iam sese agnoscens, proprio iam reddita Regi

Auxilijs, precibusq. Pij, qui nomine terras

Immensosq. maris tractus, cælumq. replebit.

Idem etiam superis fidens, victricibus, ante

Quàm lucem abrumpat, decorabit Echinadas armis:

F

Cum

PII V.  
victoria  
de hereti-  
cis in Gal-  
lia, missis  
auxiliari-  
bus copijs,  
et precib.  
ad Deū,  
effusis.

SIXTI  
gratitudo  
erga Pii  
Quintum

Ioseph  
cum Vir-  
gine profi-  
teretur.

Luc 2.

Pax Au-  
gusti.

PII V.  
sepulchrū

PII V.  
statua.

SIXTI  
gratitudo  
erga Pii  
Quintum

*PII V.  
victoria  
de Iurcis*

Cum pelagi tumidos Turcarum sanguine fluctus  
Miscuerit, classemq. mari submerferit atro,  
Hostibus extinctis vacuum; claroq. triumpho  
Soluerit ancipiti pavidas formidine gentes,  
Solus hic immensum ferri super æthera plausu  
Præclarus duplici poterit certamine victor.

*Sfortia co  
mes S. Flo  
ra, & M.  
Ant. Colum  
na.*

Cernere iam videor geminas referentia pugnas  
Marmora, victoresq. duces, captiuamq. gentis  
Agmina barbaricæ, ratibusq. erepta potenti  
Rostra inimica manu, pulchro decora addita busto.

*SIXTI  
V. statua  
& rerum  
ab ipso ge  
starū mo  
numenta.*


At contra ornatu, specieq. simillima moles  
Altera confurget, totidem suffulta columnis  
Et paribus radians gemmis, operisq. labore.  
Nec minus hic omnis magni mirabitur ætas  
Marmoream Sixti effigiem, monumentaq. rerum,  
Quas geret ante alios Princeps iustissimus omnes,

*SIXTI  
sempiter  
na fama,  
& gloria.*

Qui sacris vniquam frænarint legibus orbem.  
Illius humanis hærebit gloria semper  
Mentibus, atque ingens factorum fama manebit;  
Dum stabit medio tellus immobilis Orbe  
Claraq. consuetos torquebunt sidera cursus.

## DE SACELLO EXQVILINO

SIXTI V. PONT. MAX.



LIBER TERTIVS.



RÆTEREA nitidi primo sub fornice templi,  
Se tollet geminum dextra; leuaq. sacellum.  
Hoc referet nomen, varijsq. notata figuris  
Illyrici pia facta senis, qui commoda vitæ,

*S. Hiero-  
nymi sa-  
cellum.*

Terrenas et opes, curasq. perofus inanes;  
Hæc prope perpetuam statuet præsepia sedem,  
Infantisq. humilem secum meditabitur ortum,  
Ad multam consueta trahens ieiunia noctem.  
Ille iubente Deo, rerum monumenta sacrarum,  
Hebræumq. notis, et vocibus edita priscis;  
Cognoscenda dabit patrio sermone Latinis;  
Vnde sibi magnam pariet per sæcula laudem.

*Biblia sa-  
cra in lin-  
guam la-  
tinam a  
S. Hiero-  
nymo tra-  
suta.*

Alterum in opposita Delubri parte tenebit  
Illa Syracusio, veterum de sanguine auorum,  
Lucia, quæ miro pro virginitatis amore,

*S. Lucia  
sacellum.*

Perferet ardentēs animo imperterrita tedas,  
Et sœuum eludet suscepta morte tyrannum.

Illic admonitus cœlesti numine Sixtus

*S. S. Innocentium re-  
liquia.*

Longinqua penitus iam pridem in sede repostos,

Qua rapidus flauo tyberis præterfluit amne:

Infantum cineres sacrata condet in ara,

Quos ferus Herodes mox ipso in limine lucis

*Puerorum  
innocentium  
cades.*

Vberibus raptos, crudeli morte necabit,

Te solum, te Christe petens; tibi tale parabit

Impius exitium, tot millibus vndique cæsis,

Nequidquam innocuo maculabit sanguine regnum,

Ac dira pariter natorum cæde parentes

Extinguet demens; nam te nec sentiet enses

*Fuga  
Christi in  
Ægyptum.*

Effugisse suos, Phariæ nec proxima gentis

Littora diuini monitu petijisse Parentis:

*Innocentes  
una cum  
ceteris  
martyri-  
bus Chri-  
sti comi-  
tes.*

Ast illi aligeros inter, proceresq. recepti,

Qui rapidas pro te flammās, ensesq. nefandos

Haud veriti, sœuo dederint in funere vitam,

Claraq. velarint victrici tempora fronde;

Perpetuo tecum viuent, primiq. per altos

Te cœli tractus choreis plausuq. sequentur.

Quin

Quin et marmoreo sese altius æquore tollet.

Suffultum gradibus folium; longeq. refulgens,

Aulæis auro intextis, ostroq. decorum:

Illic aurata Sixtus cum veste sacerdos;

Dum rem diuinam faciet precibusq. Parentem

Cælicolum flectet, sacrosq. adolebit odores

Concilio Patrum, et populo spectante, sedebit.

Hinc Petrus, atque illinc Paulus, duo maxima mundi

Lumina, de viuo spirantia pectora saxo,

Stabunt, atque ora in Sixtum conuersa tenebunt,

Cui dabit hic geminas cœlesti munere claues,

Vt magnum referare queat stellantis olympi

Limen, et ad meritas fontes deposcere pœnas.

At contra gladium dextra geret ille rigentem,

Qui charos Puer alme tuos defendet alumnos,

Quos olim ob patriæ flagrantem legis amorem

Perdiderit ferro, nisi tu de nube furentem,

Innocuisq. animo iam iamq. extrema parantem

Supplicia, actutum cœlesti oppresseris igne,

Actanto ignarum noxæ reuocarīs ab auso.

O quantos illi motus, cladesq. ciebunt

*Sedes pon-  
tificia.*

*SS. Petri  
& Pauli  
signa mar-  
morea.*

*Vocatio  
S. Pauli.*

*Pradica-  
tio aposto-  
lorum Pet-  
& Pauli.*

Diui-



Diuino armati eloquio : hæc tibi Lucifer instans  
 Prælia tartareas numquam pugnata per umbras.  
 Tunc te pollutis adigent discedere templis,  
 Et regna imperio nimium vexata superbo  
 Deferere, et nigro penitus latitare barathro.  
 Ambo animis, studijsq. pares, cælestibus ambo  
 Imperijs acti, populos tua iura per omnes  
 Christe ferent, nomenq. tuum, patriamq. genusq.  
 Quæq. hominum causa diuino feruidus igne  
 Vltro pertuleris, miroq. impulsus amore,  
 Quam bene mortales effuso sanguine noxas  
 Ablueris, cæliq. altam patefeceris arcem,  
 Quam Pater omnipotens mundi nascentis ab ortu  
 Clausit ob ingrati labem indignatus Adami.  
 Omnia magnanimi Heroes terræq. marisq.  
 Vltima lustrabunt penitus loca, et omnibus vnum  
 Lucis iter, ritusq. novos, moresq. sacrorum  
 Ostendent, agitante Deo, tunc vndique magnus  
 Astantum feriet flammantia sidera plausus,  
 Nam sancto egregias afflati numine mentes,  
 Docta sonos omnes diuinitus ora resoluent

*Peregrina  
 tio Aposto-  
 lorum ad  
 remotas  
 gentes.*

*Donum  
 linguarū.*

Omni-

Omnigenasq. suis implebunt vocibus aures;  
 Cum sacra cælestis retegunt arcana Parentis,  
 Ceu tuba, quæ celeres sonitu strepitante per auras,  
 Et colles, vallesq. imas, et flumina complet,  
 Tum magis auditur longe increbrescere clangor,  
 Cum magis, ære procul per concaua littora fertur.  
 Post multos tandem terris, pelagoq. labores  
 Auxilio superum exhaustos, magnisq. per orbem  
 Prodigijs clari, optatam cælestibus Urbem  
 Terrarum dominam, cunctas quæ concutit oras  
 Imperio, gentesq. premit, cæloq. minatur;  
 Protinus inuadent, haud vlllo milite freti;  
 Auerfasq. hominum mentes, ac nescia vinci  
 Pectora paulatim incipient mollire loquendo,  
 Et mulcere animos vitæ melioris amore.  
 Sed non ante facris component legibus urbem;  
 Ac tua, sancte Puer, statuent insignia templis;  
 Quam iussu, vera pro relligione, tyranni,  
 Innocuas dederint animas, proprioq. profanam  
 Sanguine sacrarint urbem, quam conditor olim  
 Dum strueret, nimio regnandi cæcus amore:

*omni-  
 bus*

*Ingressus  
 Petri, &  
 Pauli in  
 urbem Ro-  
 mam.*

*omni-  
 bus*

*Romulus.*

Ger-

Germani potuit leto incestare cruento.  
 Tunc etenim Romana Simon per compita vulgus  
 Artibus eludet magicis, passimq. nefandis  
 Omnia carminibus rerum miracula finget.  
 Frigida quin etiam pallentibus ossa sepulchris  
 Excire audebit, rursusq. inferre solutas,  
 Artibus e gelidis animas, gressumq. sonosq.  
 Reddere mortales studio tentabit inani.  
 Se magnum tandem fallaci pectore mendax  
 Afferet esse Deum, et veram, charamq. Parentis  
 Ætherei sobolem, atque ad sidera velle reuerti:  
 Tum faciles animos, neque conscia pectora fraudis  
 Tartareis terrere dolis conabitur, omnes  
 Vt sibi sacra ferant; cum se committere cælo  
 Incipiet, propiusq. altas contingere nubes.  
 Ergo Tarpeiam conscendet callidus Arcem,  
 Inferaq. extemplo diris armata colubris  
 Agmina, et horriferas late expirantia flammæ  
 Dæmonis imperio pallenti ab sede vocabit.  
 Talibus auxilijs fretus, se mittet in auras,  
 Ignarus fortisq. suæ, casusq. futuri:

*Simon magus**Simon magus afferre bar se esse Dei filium.**Simonis magi doli, ac praestigia.*

Nam

Nam magni Heroes illum per nubila ficto  
 Fallere dum cernent populum, patresq. volatu;  
 Attollent cælo vnanimis vocemq. manusq.  
 Inq. repertorem fraudum, scelerumq. ministros  
 Ultrices poscent diuini numinis iras,  
 Audiet orantes nutu, qui terret olympum,  
 Infernasq. acies magnum per inane volantes  
 Fulmine disijciet, fumoq. inuoluet et igni:  
 Protinus infelix cælo desertus in alto  
 Corruet, et vasto pulsabit pondere terram  
 Semianimis: frustra infidijs horrenda vocarit  
 Agmina, mentiri diuinos ausus honores,  
 Quiq. altas demens enare per ætheris oras  
 Finxerit incassum, magni haud sine numine Regis  
 Vix terræ claudo poterit pede figere plantas.

At Nero Romulei, qui tunc horrentia regni  
 Sceptra geret, ferus ingenio, quo immanior alter  
 Haud erit in terris, rabidas ardescet in iras  
 Indignans animo casum pellacis amici:  
 Continuo manibus Petrum, Paulumq. reuinctis  
 Carceris includi fundo mandabit in imo,

*Simon apostolicis precibus ex aere deiectus.**Simon claudus.**Nero.*

G

Quo

Quo neque permanent auræ, neque lumina solis,  
 Ut tandem innocuam miserando in funere vitam  
 Effundant, vani merita pro forte Simonis.

Heu scelus infandum, haud multo post tempore diro

Fœda ministerio, tetroq. infecta cruore

Pectora carnificum Regis fera iussa faceffent,

Perq. vias magno matrumq. hominumq. tumultu

Egregios pietate senes, meritisq. decoros

Ad mortem rapiant, veluti per ouilia tigres

Molle pecus: quid plura feram? quid funera narrem

Impia? quid tantum iuuat exaudire dolorem?

Quos gemitus Tyberine dabis? quo tristia fletu

Lumina suffundes, hæc dum spectacula cernes,

Ad dextram, leuamq. tui prope fluminis vndas?

Hinc senior duro pendens de robore Petrus

Sublatis alte pedibus, terramq. sacrato

Vertice contingens, animam super æthera mittet,

Quo plantas, oculosq. aduerti optauerit vltro,

Ne simili omnino se mortis imagine cæsum

Spectaret populus, qua te suspexerit ipse,

Magne Puer, ligno extinctum pendere cruento.

Hinc

Hinc Paulo caput abstulerit scelerata securis,

Quod trunco auulsum lactis cum sanguine riuos

Innocuo spargens, triplici tria flumina saltu

Elicuisse solo attonitus mirabere Tybri.

Effera num tali trepidarint pectora visu?

Num sensus animumq. inflexerit inde tyrannus?

At veniet tempus læto cum littora plausu

Implebis, lacrymasq. noua inter gaudia fundes,

Immanes lapidum moles, rediuiuaq. leni

Flumine saxa gerens, sacras quibus extruet aras

Templaq. tercentum niueis imposta columnis,

Roma triumphato rerum ditissima mundo,

Infandos veterum ritus exosa parentum;

Quo sacra tantorum priscis educta sepulchris,

Transferet ossa virum, puroq. recondet in auro.

Et studio colet ingenti, precibusq. vocabit

Aurea votiuis onerans altaria donis;

Ferrea quin etiam gracili pendentia collo

Vincula, et inualidos Petri complexa lacertos,

Atque ipsos Pauli exortos in funere fontes,

Quod mira ediderint diuini signa vigoris

G 2

Et

Martyriū  
 SS. Petri  
 & Pauli.

Fontes  
 Pauli apud  
 Soli.

Templa  
 SS. Petri  
 & Pauli.

Templa  
 ad Petri  
 vincula  
 et Pauli  
 fontes.

Et calidas membris febres, morbosq. leuarint

Magna manent solido surgentia marmore templa,

Immortale decus cunctos habitura per annos.

*Ecclesia  
Apostolo-  
rum san-  
guine sur-  
data.*

At vos felices animæ, qui sanguine sanctam

Diuino freti imperio fundabitis Urbem,

Atque nouas dabit prostrato dæmone leges:

Excipient magno cælestia limina plausu,

Limina perpetuo varijs redolentia fertis

*S. Domi-  
nici sta-  
tua mar-  
morea.*

Quis te prætereat flos candide gentis Iberæ,

Cui genus egregium titulis dabit indita summis

Rupibus, et celso propior Calagurris olympo?

Te fore qui claris totum virtutibus orbem

Collustres, propriumq. feras ad sidera nomen,

Chara Deo genitrix animo præsentiet ante,

Quàm te vitales in luminis efferat auras;

Cum sibi per dulcem media sub nocte quietem

*Catulus  
facem ore  
gestans.*

Turgenti catulum gestare videbitur aluo

Efflantem patulo candentes ore fauillas,

Qui late incendat diuinis omnia flammis

Ex vtero claras eductus in ætheris oras.

Quas tu magne Pater non inflammaueris Vrbes

Sacrarum studio rerum? dum feruidus ore

Ignea dicta feres? penitusq. in cæca virorum

Pectora conijcies æterni numinis ignes?

Quàm multa æthereo iuuenum te millia nutu

Excita, posthabitis opibus, patriaq. sequentur?

Sidreamq. petent tua per vestigia sedem?

His sese adiunget comitem, fociumq. laborum

Ingenti legum perculsus amore tuarum,

Martyris eximio gaudens cognomine Petrus,

Qui clara genus Vrbe feret, cui pinguia multo

Fenore culta virent, Athesis quæ flumine pleno

Irrigat, Adriacis immiscens fluctibus vndas.

Ille pio Insubrios asperget sanguine campos,

Suspicietq. altum dira inter vulnera cælum,

Milite sacrilego, et fidei, veræq. salutis

Desertore cadens ob religionis amorem;

Candida qui proprio decoratus membra cruore,

Ceu rosa languescet morfu succisa ferino:

Heu capiti hærentem cerno crudeliter ensem,

Et penitus fixum præcordia ad intima ferrum.

Nec te carminibus tacitum Franciscæ relinquam

*S. Fran-  
cisci si-  
gnū mar-  
moreum.*

Vnica nascentis Christi, et morientis imago: *non inuisione?*

Ipse leues populi plausus, et inania rerum

Labentum studia, ac tenuem aspernabere laudem,

Æthereis inhians regnis, humilemque caduco

Pauperiem anteferes auro, gentesque docebis

Diuitias, et opes, atque alta palatia regum

Despicere, et superis animos intendere rebus.

Tu magni assidue meditans arcana Parentis

Aligeros inter cælo spatiaaberis alto,

Cælestemque trahes terreno in corpore vitam,

Nil mortale timens: talem te luna, per orbem

Astrorum subeunte choro, stupefacta sereno

Aspiciet vultu, et veneranti luce fouebit;

Dum manibus tolles passis ad sidera vocem,

Et calidis oculos lacrymis, terramque rigabis,

Diuinæ sobolis reputans ortumque necemque.

Ardua sidereis vbi saxa minantur olympi

Orbibus, a celso quondam quæ vertice late

Horribilem subito discissa dedisse ruinam,

Atque imis vasto radicibus acta fragore

Exiluisse ferent, Dominum miserata cadentem,

Cum

Cum sol obscuro nitidam velamine frontem

Texerit, ac totum tenebris obduxerit orbem.

Illuc ætherei soboles certissima Regis

Adueniet, magna superum comitante corona;

Cum sibi te similem efficiet, palmasque pedesque.

Et dextrum feriet latus acri cuspidis ictu,

Cuspidis igniferæ, flammis quæ dulcibus vret

Teque tuamque animam: cupies, mihi crede, per auras

Pondere corporeo liber, membrisque solutus

In cælum ferri; dilectum vbi cernere coram

Vulneris auctorem possis, diuoque potiri

Ipsius aspectu, superis quo gaudia semper

Mentibus insinuat, nullis obnoxia curis.

Fortunate Heros, dabitur tibi sistere cælo

Æternum, propiusque Dei cognoscere numen:

Te manet hic etenim iam pridem altissima quondam

Luciferi sedes, qua iam deiectus olympo

Exulat, inferno haud illuc rediturus ab antro,

Perpetuos scelerum ultores vbi perferet ignes,

Tunc tua, ceu nitido longe fulgentia cælo

Sidera, diffundent ingentem vulnera lucem;

Atque

*Stigma-  
ta S. Fran-  
cisci.*

*EX 13  
170 200 11  
100 11 11  
100 11*

*Mons Al-  
uernia.*

Atque tuos, ardens animo interiore voluptas *Ido Iol mmo*

Explebit sensus imis illapsa medullis :

Sed prius in terris mortales instrue cœtus ,

Et paribus iunge studijs , et moribus omnes

Finge tibi similes : ingentibus annuet orsis

Ipse Deus, meritoq. tui non immemor vñquam

Agminis, assidue tibi tot deuota virorum

Pectora sufficiet, tacito quot clara feruntur

Astra polo, pelagusq. vagas quot voluit arenas,

Qui loca terrarum complebunt omnia late

Vt magnus validisq. potens exercitus armis

Hinc centum Heroes, omnis quos efferet ætas

Attollent capita egregijs insignia factis,

Quique sacrum spargent pro religione cruorem,

Quiq. altum cœli poterunt recludere limen.

Hos inter Felix insurget Sixtus ad auras,

Ceu colles inter sublimi vertice olympus,

Qui te marmorea sub imagine, muneris ergo,

Spectandum statuet, tacitis qua quisque videbit

Inclyta luminibus rerum monumenta suarum.

Hic etiam; Franciscè, tuus consistet alumnus

*Ordo fratrum S. Francisci*

*SIXTUS V. ex ordine Mino- rum.*

Ortus

Ortus in Hesperia extremis Antonius oris,

Qua Tagus aurifero fecundat flumine campos;

Egregius veluti miles tua signa sequutus,

Prædulci procul a patria, charoq. Parentum

Complexu, ducente Deo : cui ferrea cordi

Pectora mulcere, et miseras reuocare nefandis

Criminibus mentes, superumq. ostendere sedes,

Humanum Pater omnipotens genus vnde tuetur.

Hic medios pietate flagrans penetraret in ignes,

Funderet et sparso innocuam cum sanguine vitam,

Si cœli Rex ipse ferat, qui tempora lucis

Omnibus aut rapit, aut longum producit in æuum.

Hic tandem senior, magnisq. laboribus haustis,

Fessaq. ceu placido correptus lumina somno,

Clarabit veterem moriens Antenor's Urbem:

Teq. petet cœlo stantem, et prope magna manentem

Numina, cui multo splendet lumine corpus;

Claraq. perpetuis florebunt tempora fertis.

Vestibulo in summo, pictiq. in limine tecti,

Inter se certo repetent sermone sibyllæ,

Aduentumq. tuum, rerumq. arcana tuarum,

*S. Antonij de Padua statua e marmore.*

*sibylla.*

H

Ove-

O venerande Puer; sancto quæ numine quondam  
Afflatæ ob sacri studium cecinere pudoris.

Quattuor  
Evangelii-  
sta.

Hinc templo spatia aduerso propiora tenebunt  
Quattuor Heroes cælesti lumine septi,  
Diuino clari eloquio, similesq. micanti  
Cælicolis vultu, quorum pia dextera puris  
Omnia describet chartis tua maxima facta,  
Iuraq. perpetuum merito mansura per æuum;  
Vel si tartareo confurgas lucifer antro  
Agminibus comitate tuis, flammaq. furenti  
Dira per ignaras glomeres incendia mentes,  
Atque alios doccas mortalia pectora mores,  
Dictaq. diuinis penitus contraria dictis.

Regificos templi ornatus, operisq. laborem

Contemplator habes; quamuis non pauca supersint  
Nec memoranda minus; sed fandi haud finis, ad vnum  
Omnia si vellem rerum argumenta referre.

Non equidem toto quidquam præstantius orbe  
Surgere posse reor, quàm Sixti nobile templum.

Et quod adhuc animo multum admireris Ioseph:  
Romuleas inter quondam sanctissima matres

Im-

Imperio genitura virum Regina potentem,  
Qui primus tibi Christe palam nomenq. animumq.  
Sponte dabit; meritumq. cruci persoluet honorem.  
Te paleis fultum, et stabulo miserata iacentem,  
Atque horum mira exardens pietate locorum:  
Hic vbi summota penitus sub rupe cauatum  
Cernitur, et saxi horret pendentibus antrum;  
Delubrum condet, summoq. æquabit olympo;  
Quod Sixtus licet haud oculis aspexerit vnumquam;  
Hanc tamen æque illi similem, paribusq. decoram  
Artificum studijs, et celso culmine sedem  
Eriget, atque solo pariter præsepe sub imo  
Depressum, secto decorabit marmore circum,  
Et sacris aptam rebus, cinctamq. columnis,  
Et gemmis longe radiantibus, insuper aram  
Imponet, monstrante Deo, quem nocte silenti,  
Dum placido indulgent mortalia corda sopori,  
Orabit supplex; sacri quo tollere tantum  
Imperij pondus valeat, populosq. tueri:  
Vtq. vno varias pietatis fœdere gentes  
Conciliet, cæliq. animos ad sidera magnis

S. Helena  
Constanti  
ni mater.

Descri-  
ptio antri,  
vbi natus  
est Chri-  
stus.

SIXTI  
Templum  
diuino in-  
stinctu He-  
leniano  
per simile.

egregia  
vniuersa  
OIXI

H 2

Exci-

Excitet incensos studijs: tunc æthere ab alto

Accipiet puros diuini numinis haustus;

Atque animo cælum penetrans occulta videbit

Quæ vix cælestes valeant comprehendere mentes.

Sic magni Gabriel templum venerabile Sixti

Ore ferens, mira rerum nouitate sacrarum

Suspensas astantum aures, animosq. tenebat,

Veridico tandem cessauit pectore fari.

At Virgo tales tacito quæ corde loquelas

Seruarat secum reputans, multa q. reperi.

Senferat inde sibi intentam dulcedine mentem:

Talibus alloquitur superum lætissima regem,

Ob Sixti egregios mores, famamq. perennem,

Quæ dulci dudum cantu memorauerat ales:

O Pater omnipotens nutu qui maxima torques

Terrarum imperia, et flagranti perfida Regum

Fulmine corda quatis, meritisq. ingentia ponis

Præmia, et humanos miseraris sponte labores:

Da precor hunc mundo quamprimum Heroa cadenti,

Da, queat vt miseris melius succurrere rebus,

Totq. tuo scelerum formas expellere regno.

*B. Virgo  
orat pro  
SIXTO*

Quid

Quid Sixto maius placidas regnante per vrbes?

Quæ noua tunc rerum facies? quàm dulcia terris

Ocia, quæ species orbis? quæ sæcula surgent?

Sic tua, summe Parens, est iam mihi nota voluntas,

Quæ neque me faller, nec in auras irrita cedet,

Fas tanto mihi digna viro dare munera; sedes

Cum petet ille meas, studio pietatis; ab vrbe

Quas olim patria superum manus inclyta iussu

Acta tuo, penitus vultas per nubila tollet,

Ac virides inter lauros, et littora propter

Æquoris Adriaci sublimi in monte reponet,

Vnde locus nomen cunctos seruabit in annos,

Quem deinde haud longo magnus post tempore Sixtus,

Cum premet insigni primum diademate frontem

Vrbibus æquabit magnis, titulosq. decusq.

Muneribus cumulans, claro decorabit honore.

Hinc ego felices olli Pater optime soles;

Pæpetuamq. procul bello fugiente quietem

Imploro supplex, quo magnæ impensius Vrbi

Consulat, extremasq. ferat pia iura per oras,

Vt cunctas vni valeat subiungere gentes

*Transla-  
tio domus  
B. V. per  
Angelos.*

*Lauretum*

*Lauretū  
ciuitatis  
iure, et epi  
scopali di  
gnitate a  
Sixto V.  
donatum.*

Im-



Imperio veræq. viam monstrare salutis.

At tu magne Puer, mentis mi dulce leuamen

Iam nunc eximium SIXTI precor accipe donum,

Quod tota tibi mente feret, propriumq. dicabit;

Atque illum in cunctos mecum complectere casus:

Dixerat, et dulci venerans dedit oscula nato.

Audijt orantem genitor, claroq. repente

Ter cælo intonuit: ter misit ab æthere flammam,

Attonitasq. nouo lustrauit lumine terras.

F I N I S.



DE EODEM SACELLO  
SIXTI V. PONT. MAX.  
A HIERONYMO BADESIO  
DESCRIPTO  
DIVERSORVM POETARVM  
CARMINA.

# SIXTI PASTORIS

EXCVBIAE

AD CHRISTI INFANTIS CVNABVLA

ELEGIA

IO. FRANCISCI BORDINI I. C.

ET PRESBYTERI ROMANI



ADSPICIS , *ut latus cunabula dulcis Iesu*  
*SIXTVS obit , senio nec timet ille suo ?*  
*Horrida non glacies , non inclementia cali*  
*Terret , sanctum adeo pectus adurit amor .*  
*Frigida , sed canis spargit dum bruma pruinis*  
*Terras , nox medium dum tenet vda polum .*

*Tunc vigilat pastor , tunc aurea tecta relinquens ,*  
*Sese ad nascentis fert penetrabile Dei .*

*Est locus , Exquiliis prisca dixere Quirites ,*  
*Irriguis quondam collis amœnus aquis .*

*Nunc ade insignis , Matri , que sacra Tonantis*  
*Aestiva , veniens , a niue nomen habet .*

*Ipsius hic veneranda Dei presepia Christi*  
*Summa Romulide religione colunt .*

*Hic olim SIXTVS , nondum ad sceptrata alta vocatus ,*  
*Egregium altaris condere cepit opus .*

*Quod nunc , excelsa conclusum fornice , longe*  
*Despectat turreis , Roma superba , tuas .*

*Virginis hic partus monumentum illustre reponit ,*  
*Nocturnum , tuguri pauperis , hospitium .*

*Quod circum insontes pueri , sicanaq. Virgo*  
*Adstantes ludant , Illyricusq. senex .*

*Huc igitur gressus grandævus dirigit Heros ,*  
*Post quem consequitur sedula turba patrum .*

*Concurrunt proceres , pergunt iuvenesq. senesq.*  
*Permixtum vulgus , femina virq. simul .*

4  
Post ubi deuentum est ad limina magna sacelli,  
Atque aram, Christus qua cubat in media.  
Continuo excubias alternis vocibus implent,  
Hinc hominum cætus, ætherei inde chori.  
En Christus natus, gens hunc nunc omnis adoret,  
Conclamant pariter: Gloria summa Deo.  
In feno ecce iacet, pugno qui continet orbem,  
Pascitur en pastor lacte perexiguo.  
Virginis vberibus distillant pocula celi;  
Filius atque hominis, sit pater ipse hominum.  
Sic canitur: resonant vasti penetralia templi,  
Et lacrymas cunctis mystica sacra cient.  
At multo ante alios afflatus numine S I X T V S  
Adstat, non oculos, non mouet ille manus.  
Sed stupet, & rerum quæ sint arcana reuoluit,  
Et tacita secum talia mente refert:  
Quàm bene in Exquilijs celebrantur sacra Tonanti,  
Romanasq. arceis paruula cuna domat?  
Quàm decet excubias ubi Rex Romanus agebat,  
Romani excubias pastor ouilis agat?  
Quare agite o celi, terris demittite rorem,  
Et pluuiam optatam, mittite, tempus adest,  
Quæ longum tandem sitientia temperet arua,  
Irriget et nascens arida corda Puer.  
Sic ait: inde oculos sacra in præsepia figens  
Argentem arenti conspicit in stipula.  
Et videt, ut lentus bos hinc, hinc tardus asellus  
Ore fouent tepido membra tenella Dei.  
Stat Genitrix impexa comas, roseoq. refulgens  
Vertice, nunc lacrymis ora sinusq. rigat.  
Et nunc prona suum latissima pignus adorat,  
Nunc illud sacris admouet vberibus.  
Nec minus & superis charum caput adstat Ioseph  
Sedulus & calo credita dona fouet.  
Ioseph, qui solus secreti conscius alti  
Nascentis Pueri gaudia prima tulit.  
Nec non admirans venientum culmine ab alto  
Pastorum cætus cernit adesse pios:

X I 2

I N O C A

A T . C I

I

I N O C A

A T . C I

I

I N O C A

A T . C I

I

I N O C A

A T . C I

I

Quo-

Quorum alijs teneris frons est redimita corymbis.  
At alijs infanti rustica dona ferunt.  
Baccas, atque rosas, violas, suauisq. hyacinthos,  
Quos illa insueto tempore fudit hiems.  
Hinc alijs Cererem expediunt, atq. oua canistris,  
Effundunt alijs dulcia vina cadis.  
Hic hædum, ille agnum portat, siluestria promit  
Poma hic, ille oleas, castaneasq. nuceis.  
Roscida mella, nouiq. tepentia munera lactis  
Dant alijs, atque hilares, florida ferta alijs.  
Parte alia calamos inflant, & carmina dicunt,  
Nascentem resonant pleetra canora Deum.  
Auiæ responsant nemorum, saltusq. ferarum,  
Et dumeta canunt, & caua saxa Deum.  
Intonsi plaudunt montes, ramosq. virentis  
Expandunt alacres, sponteq. poma ferunt.  
Mitescunt tygres, nec ledunt unguibus vrsi  
Informes quemquam, setigeri ve sues.  
Non sauos ultra metuunt armenta leones,  
Non ultra insequitur torua leana lupum.  
Quin lupus ipse vorax agnos innocuus inter  
Iam manet, & iuncti bosq. leoq. cubant.  
Ipsa inter corylos densas, virgultaq. picta  
Carmine certantes adglomerantur aues.  
Panditur interea celum, iamq. omnis ab alto,  
Calicolum terras turba beata petit.  
Et geminant voces, & mulcent athera cantu  
Dulcisono, & spargunt lilia mixta rosis.  
Ecce autem celeri missus secat aera cursu  
Nuncius & medijs visus adesse sacris.  
Atque adiens S I X T V M, æterni mandata Parentis  
Explicat, & cunas ire iubet propius.  
I, Pastor, dicens, prima hæc pastoribus olim  
Gaudia, Pastori gaudia prima tibi.  
I Felix, iam pone metum, tua gaudia Virgo  
Augeat, & dulcis, mellifluusq. Puer.  
Dixit, & in media volitans se nocte recondit,  
Optatum aggreditur carpere S I X T V S iter.

Ut venit, puerum ut vidit, matremq. senemque,  
 Et qua illum agresti stramine bruta fouent.  
 Obstupuit, totos horror tremefecerat artus,  
 Pertentat tacitum pectus amantis amor.  
 Hinc dulcibus lacrymas, crebra hinc suspiria fundit,  
 Et dulcem puerum vox geminata vocat.  
 Excipit illum vlnis, atque oscula millia figit,  
 Atque iterum, atque iterum, nec saturatur amor.  
 Adspirat caeptis infans, tenerosq. lacertos  
 Circum colla senis neetere letus auet.  
 Ceu quondam Solymis aurata in veste sacerdos  
 Promissi certus, templa tonantis adit.  
 Iam senior, mortem sed non visura senectus,  
 Ni detur tectum carne videre Deum.  
 Quemq. ubi conspexit, tetigitq. ad sidera palmas  
 Tendens, sic fatus: iam mihi visa salus:  
 Iam populos seua video ditione tyranni  
 Ereptos: moriar, iam mihi visa salus.  
 Iam letus moriar, tu me dimitte precantem  
 Summe Deus, moriar, iam mihi visa salus.  
 Haud aliter S I X T V S longo venerabilis aeo,  
 Candida dum Pueri tangere membra licet.  
 Exclamat lacrymans, & cum data copia fandi,  
 Ridentem infantem talibus alloquitur:  
 Parue Puer, sed magne Deus, cui pontus, & aether  
 Paret, & excelsi lumina magna globi.  
 O cordis spes sola mei, Regnator olympi  
 Aeterno mundum qui regis Imperio.  
 Quis te pauperiem, frigus, malaq. omnia ferre  
 Compulit, o summi chara Dei soboles?  
 Sat scio, solus amor docuit contemnere caeli  
 Sidereas sedes, & mala tanta pati.  
 Vicit iter durum pietas, generisq. cadentis  
 Humani, quem olim culpa momordit atrox.  
 Immanem tu hostem terraq. Ereboq. potentem  
 Deuicturus ades, tartareasq. domos.  
 Iam te Cocytus, Phlegeton, & pallida Ditis  
 Regna tremunt, & Styx, Eumenidumq. furor,

Per te certa salus miseris, per te ardua caeli  
 Iam conclusa diu porta reclusa patet.  
 Infesta en iam bella silent, pax aurea mundo  
 Redditur, & pietas, spesq. fidesq. & amor.  
 Et, que iam dudum nostris fuit exul ab oris,  
 Latitia accedit, concomitata iocis.  
 Ergo adsis bonus, o nobis, plebemq. patresq.  
 Respice parue puer, respice magne Deus.  
 Et mihi, quem pecori longe lateq. per orbem  
 Immensum sparsio, praeficis immeritum;  
 Da partos seruare greges, inq. adijce caulis  
 Quos asperve lupus, vel malus anguis habet.  
 Nil mortale peto, tantum tua numina Mauri  
 Agnoscant, Indi, Thraces, & Antipoda.  
 Sic rogat, oranti subridens annuit ingens  
 Pufio, nec cessat basia casta dare.  
 Et molli amplexu gestit concessa petenti  
 Vota seni, & blanda significare manu.  
 Tum demum S I X T V S numen veneratus amicum  
 Ad sua mox rediens, sacra diurna parat.

ILLVSTRISSIMI DOMINI  
 CAMILLI CAIETANI.



V M victis populis caligine mersa profunda  
 Iura Deosq. tuos impia Roma dares,  
 Paupere sub tecto Deus infans nocte silenti  
 Clarus in obscuro nascitur oppidulo.  
 Nunc quia suspiciens auras iam libera calum  
 Hausisti, & melior numina vera colis.  
 Iure casas humiles generosa puerpera liquit,  
 Infeditq. tuis virgo beata iugis.

Pro paleis auro, pro ligno marmore gaudet  
 Pro vili hospitio templa superba petit.  
 At non pastores Puer a praesepibus arcet  
 Officio vigiles, sollicitaq. prece.  
 Hinc Pius & titulis & munere clarus amici  
 E Pario spirat marmore latitiam.  
 Inde potens animis & praesens corpore SIXTVS  
 Ad CHRISTI obsequium sedulus urget oves:  
 Sollemnesq. iuuat pulchra ad praesepia pompas  
 Ducere, & aeternum concelebrare Patrem,  
 Urbis qui tenebras, patefacta luce, resoluit,  
 Sanguine lustratos restituitq. locos;  
 Qui rerum Dominos eductos paupere terra  
 Constituit, cali clauigerosq. facit.  
 Hac reputat SIXTVS, dum fletibus irrigat aras,  
 Et Matri & Puero dona opulenta sacrat.  
 Matris at admonitu precibus lacrymisq. mouetur  
 Paruulus, inq. senis proflit ecce sinum.  
 Hinc vigor, et duris fiducia maxima rebus,  
 SIXTE, tibi, & chari prouida cura gregis  
 Anxius ardentis persentis corde fauillas,  
 Et libras vires armaq. iusta paras:  
 Seu miseris tentas reuocare ad ouile Britannos,  
 Seu curuare tuum, perfide Turca, genu.  
 Annue sancte Puer, votis stat certa voluntas  
 Cuncta pati & nullo est gloria pulsa metu.  
 Aspice Praesepi quos dat modo SIXTVS honores  
 Quae victo Solymis hoste trophaea dabit?

ILLVSTRIS. DOMINI THOMÆ AVALI

Marchionis Pischariæ filij.



Natus mortale Deus cum corpus in auras  
 Intactae ex aluo Virginis emicuit.  
 Pax terras late compostas alma fouebat,  
 Gaudia tranquillo pacis erant pelago.

Iam

Iam quando sine pace DEVS, nec templa, nec vlla  
 Aequis respectat munera luminibus.  
 Marmoreum CHRISTI ad cunabula prima sacellum  
 Pace prius parta SIXTVS in vrbe locat.

A L I V D.

QVOD Praesepi sui est ortus dignatus honore  
 Sidereo pacis lator ab axe DEVS,  
 Hoc etiam lapidum fulgore exornat, & auri.  
 SIXTVS, qui pacem reddidit Ausonia.  
 Quae quoniam est moles non hic dignissima tantum  
 Cerni, sed late qua patet orbis iter,  
 Egregij studio vatis celebrata vagatur  
 Perq. aures passim, perq. oculos hominum.

F. ANGELI CAMERTIS A ROCCHA

Augustiniani Doct. Theol.



VGVSTVM in Terris cur dat Praesepi TONANTI  
 SIXTVS? ut in Calo nunc sibi claustra paret.

E I V S D E M.

ASTRA, Polumq. refert SIXTVS, Cunabula Christi  
 Dum nouat, & ponit splendidiore loco.

E I V S D E M.

A SIXTO hic quicumque vides Praesepi repostum,  
 Phidiacam dicas, Parrhasiamq. manum.

E I V S D E M.

CVR SIXTVS Praesepi nouat mira arte vetustum,  
 Quo nitidas stellas, & equiparatq. Polum?  
 Namque Opifex rerum hic fuit, hic Moderator Olympi,  
 Hic Spes, hic Vita, hic vnica nostra Salus.

b

FRAN.

FRANCISCI BENCI  
EX SOCIETATE IESV.



ELEGIA.



**N**OBILE Pontificis SIXTI pia cura sacellum,  
Quo veteres regum vincere tendit opes.  
O Praesep, DEI cunabula, conscia partus  
Virginiei, & Superum concelebata choris.  
Vos ne ab Idumaea Romanae detulit urbi,  
Longam vos Pietas fecit inire viam?  
Et tandem exquilijs posuit, qua tollitur aedes  
Virginis & colitur Matris in aede DEVS.  
Fortunata aedes, cuius formamque, modumque,  
Et spatia, & pulchris atria porticibus,  
Non hominum potuit sollertia dicere, sed vos,  
Quas DEVS aestiuo misit ab orbe niues.  
Scilicet hanc sedem Virgo sibi Mater in urbe  
Legerat, hic primum iusserat esse domum.  
Nec mora, cum Romae violentior incubat aestus,  
Et canis arentes findit hiulcus agros:  
Nocte super media, liquido nix plurima caelo  
Labitur, & certo limite signat humum:  
Designatq. sacrum paries quem finiat orbem,  
Et queat impositum sustinuisse tholum.  
Conditur hic templum Phrygijs sublime columnis,  
Atque ebore atque auro tecta superba nitent.  
Hic praebet pia Mater opem, praesensq. rogantum  
Respicit, & castos excipit aure sonos.  
Confluit huc tota populus simul excitus urbe,  
Confluit huc toto fusus ab orbe procul:  
Confluit huc celebrans diuortia lata viarum,  
Pontificis iussu nam patuere viae.  
Nec minus exciso extollit quae flumina monte,  
Tramite per montem profiluere cauo

Qua-

Quaq. lapis fuerat, trepidantes adspicit undas,  
Oraq. FELICI mergere gestit aqua.  
Tenditur ad MARIAE, cuius prope limina templi  
Vertice sideream fers Obelisce CRUCEM:  
Hanc simul adspexit, procul adstitit, & noua sumens  
Gaudia, sollicitas concipit ore preces.  
Quin & iam facilem genibus perrepere collem  
Laetatur studio femina virq. pari:  
Et cupide ingressi visu mirabile templum  
Attoniti subito diriguere metu.  
Religio facit ipsa metum. Dein pronus ad aram  
Quilibet aeternum procidit ante DEVM.  
Post paulo, quo quisque abiit, quo lumina vertit  
Perfruitur visu mens, capiturq. locis.  
Hic matris capit effigies, quae dicitur olim  
Pontifici abscissam restituisse manum.  
Hic, quia marmorea gemini requiescitis urna  
Consortes, quorum constitit aere domus.  
Hic, quia sanctorum cineres, caelestia dona,  
Osq. custodit, reliquiasq. virum.  
Hic, quia Pontificem candenti marmore reddit,  
Gloria Picentum qui fuit ante soli:  
Donum SIXTE tuum media testudine templi  
O patriae & gentis nunc decus omne tuae.  
Nec tamen hic finis. Rapit hinc Genitricis imago  
Cui DEVS in gremio dulce resedit onus.  
Illius exemplum caelo venisse supremo  
Creditur, hoc LVC AE docta imitata manus  
Saepe illinc meminit votis exposcere pacem  
Roma timens, magni dum tumet ira DEI:  
Saepe eadem offensi superatam numinis iram,  
Nec fusa in cassum vota fuisse refert.  
Seu foret annus inops, seu bellum, seu fera pestis,  
Sterneret innumeros Morte furente greges.  
Saluo sancta Parens, hominum fidsissima custos,  
Vna salus miseris praesidiumq. malis.  
Cetera praeteream. Tua sed cunabula Christe,  
Sit modo fas, humili voce animoq. colam.

b 2

Huc

Huc feror, huc gradibus decliuibus. Hic ego supplex  
 Multa feram multis oscula cum lacrimis.  
 Hoc ne igitur teneris primum vagitibus antrum  
 Ingemuit, dederat quos DEVS ore puer?  
 Hic DEVS in medio glacialis frigore brumae,  
 Hic nasci voluit nocte silente DEVS?  
 Vilibus hic molles pannis circumdatus artus  
 Pertulit hoc duro decubuisse toro?  
 Vos ne etiam Dominum, vos muta animantia vestrum  
 Noscitis, ignoto dum iacet in stabulo?  
 En, video, huc properant stimulis communibus acti  
 Pastoresq. ouium, calicolumq. chori.  
 Hi nitidas festis implent concentibus auras,  
 Hi trepidi ad Puerum munera parua ferunt.  
 Rustica dona ferunt, agnam, fetumq. capellae,  
 Quiq. breui obriguit lacteus orbe liquor.  
 Adspicit hos Virgo, sed custos Virginis illa  
 Accipit, ad teneros hi subiere pedes.  
 Fallor? an ex ALTO micuerunt lumina MONTE,  
 Et tremulum pandit STELLA corusca iubar?  
 Nec procul apparent, quos fulgens purpura reges  
 Indicat & comitum magna secuta manus:  
 Et iam thesauros vltro sua dona recludunt,  
 Quas & opes gremio diuite fundit Arabs:  
 Hinc magnum in paruo venerati corpore numen,  
 Qua ventum est, aliam corripuere viam.  
 O ego, quam vellem totas hic ducere noctes,  
 Quam vellem hic totos delituisse dies.  
 Non me somnus iners, non me dapis improba cura,  
 Taedia non hinc me longa mouere queant.  
 Iam quid agam? subiere alij, concedere par est,  
 Et qui me, plures hic DEVS urget amor.  
 Nam velut in fluuio celer vnda superuenit vndae,  
 Altera subsequitur, praeterijtq. prior:  
 Haud aliter veniunt coetus, abeuntq. vicissim,  
 Occupat hic auide, deserit ille locum.  
 Huc pia turba venit, templum miratur, & vna  
 In SIXTI laudes ambitiosa ruit.

Visitur hic facies cultu spectabilis aedis  
 Aureus hic fornix, marmoreumq. solum:  
 Regicum memoratur opus, quaeq. arte magistra  
 Pieta suis viuunt corpora imaginibus.  
 Maxima pars vna iunctos veneratur honores,  
 SIXTE O QVINTE tuos, O PIE QVINTE tuos,  
 Namque PIO monumenta videt pulcherrima QVINTO  
 Quae tuus exciuit SIXTE peremnis amor.  
 Adde quod & cultis haec addita cura Poetis,  
 Vt meritas laudes, & tua facta canant.  
 Sed licet ingenijs certent, ac diuite vena,  
 Materiae, quamuis nobile cepsit opus.  
 Cerneris hos inter VATES operose Sacelli,  
 Et canis heroo carmina fulta pede.  
 Certe erat illud opus celebrandum carmine: sed tu,  
 Qui tali efferres carmine, dignus eras.

## LAURENTII FRIZOLII.




EX QVILLIS positum SIXTI pietate Sacellum  
 An tolli forma nobiliore potest?  
 Quam pulchra aligeri gaudent iestudine caetus?  
 Exercentq. leues tecta per ampla choros?  
 Hi referunt claros pennis, & veste lapillos,  
 Conuexo radiat luminis aura tholo.  
 Cernitur inferius Praesepis culmen ab alta,  
 Ornatum SIXTI quod magis ade nitet.  
 Praesepis, vectum Solymis quod sinibus olim  
 Nunc magna in celebri vertice Roma colit.  
 Et stupet aspectans sancti mysteria partus,  
 Illita qua monstrat ductus ab arte color.  
 In primis celi regem, qui membra reclinat  
 Infans stramineo nudus, inopsq. toro.  
 Inflexis seruat genibus sua pignora Virgo  
 Mater, & in tacito se beat illa sinu.  
 Proxima diffusis radijs ita corpora fulgent,  
 Vt fugiant acies luce adoperta meas.



*Perspicuis sic pruna rubens circumdata flammis,*  
*Sic liquida piscis lumina fallit aqua.*  
*Stat nitido paries distinctus marmore, & auro.*  
*Visendi huc oculos singula raptat amor.*  
*Materie non ars, arti non invidet illa.*  
*Non est, quo tantum crescere possit opus.*  
*Tu tamen Aonidum BADESI magna sororum*  
*Gloria, Romulei spesq. decusq. soli,*  
*Efficis, aurati decus ut mirabile templi*  
*Carmine se credat pulchrius esse tno:*

### IOANNIS CARGÆ.



**RAESEPE**, cunas Christe tuas, p̄ys  
**SIXTVS**, reclusit vatibus, hic ubi  
 Aequavit astris Exquelinum,  
 Virginis, & genitricis aedem.

Huic ò beato redde Deus loco

Quos ore cantus agmina cœlitum  
 Dedere, qua tu nocte lucem  
 Gentibus exoriens tulisti.

Et carmen addas, quale BADESIVS  
 Edit, priorum dum renouat melos;  
 Hos, & per occasus, & ortus  
 Fertq. tuum, resonatq. SIXTVM.

### SILVII ANTONIANI.



**RAESEPE** angustum, magnum conclusit Olympum  
 Cum Virgo peperit mater infantera Deum.  
 Nunc **SIXTI** templum angustum magni instar Olympi  
 Sacri sacellum amplectitur Præsepj.  
 At geminum veluti cælum felicibus ausis  
 Sublime carmen continet BADESII.

Obstupuit natura Deum fenoq. iacentem,  
 Sinuq. pressum Virginis puerpera.

Quin-

**QVINTI** Delubrum **SIXTI** stupet inclyta Roma,  
 Quo sol resurgens pulchrius nil aspicit.  
**Te**, quoque **BADESI** forsan mirabitur orbis,  
 Pelago ratem ausum tam profundo credere.

### POMPEII VGONII.


**YSIPPOS**, habuitq. Heros Pellæus Apelles,  
 Centum Dædaleas artificumq. manus:  
 Non tamen illi alter potuit contingere **HOMERUS**,  
 Qui caneret forti Regia facta sono.  
 Magno ergo maior tu Princeps optime, cuius  
 Non ullis ætas deficit ingenjs.

Stat **Lysippæo** tibi nobilis ara labore,  
 Illic & varium fulget Apellis opus.  
 Deerat **Mæonides**. facundi **Musa BADESI**  
 Rettulit hunc, alta personuitq. tuba.  
**FELIX** es vere felix; sed viuuda virtus  
 Hanc tibi fortunam, maxime **SIXTE**, facit.  
 Ingenjs impensus honos exsuscitat illa,  
 Aoniumq. fouet Principis aura nemus.

### A L I V D.

**DELVBRO SIXTVS** Præsepe, **BADESIVS** ornat  
 Carmine delubrum: certat utrumque decus.  
 Illud sidereo transcendit culmine nubes,  
 Hoc se sublimi tollit ad astra pede.  
 Durabit solido subfultum marmore templum,  
 Nulla est in numeros ius habitura dies.  
 Præradiat fuluo fornix, pariesq. metallo,  
 Aurea vena fluit diuitis ingenj.  
 Duxit Apellæa varios manus arte colores,  
 His quoque distinctum est nobile vatis opus.  
 Lumina spectantum tenet obstupescata Sacellum,  
 Attonitos animos **Musa disertâ** rapit:  
 Quanta tuum manet, o **BADESI**, gloria nomen  
 Quantus & æterna posteritatis honos?

Quam

Quam late SIXTI pietas volat amula calo,  
Tam video famam carminis ire tui.

A L I V D.

CEDITE, Hieronymus, Romani, cedite Reges,  
Dixit: ubi SIXTI nobile vidit opus.  
Hieronymi ut SIXTVS legit monumenta; Maronem,  
Nescio quem, dixit, saecula tulere nouum.

A L I V D.

DELVBRO Christi cunabula clusit in aureo  
SIXTVS: & Artificum Roma celebrat opus.  
Tu canis Heroo delubrum carmine SIXTI,  
Et dignum toto est hoc opus orbe legi.  
Cedat Phidiacus Musa labor; undique terras  
Permeat hac, vno clauditur ille loco.

### HORATII LANCELOTTI.



RNAVIT CHRISTI SIXTVS Praesepia templo,  
Quo nihil e calo pulchrius astra vident.  
Carminibus toti mittit BADESIVS orbi  
Mirandum summae religionis opus.  
Magna opere ex tanto surgit tibi gloria SIXTE,  
Non minor egregio vatis ab eloquio.

### A V R E L I I V R S I .



VO properas hospes? SIXTI num forte Sacellum  
Quaeris? in hoc vno est carmine: siste pedem.  
Quam similis, viden, est templo, numerisq. venustas?  
Vtq. idem in duplici se probat ore lepor?  
Carmen agit, quod marmor agit, nec marmoris arti  
Carminis ars cedit: vincit vtrumque fidem.  
Miraris? non ficta loquor. Roma haeret, & vnum  
In gemina effigie cernere iurat opus.

MV-

### MVTII RICCERII AD HIERONYMVM Badesium.



ARS honos manui, templum quod marmore & auro  
Fulgeat, & mutus spiret ab arte color.  
Rarus honos lingua, vates quod marmor & aurum  
Explicet, & mutum concinat artis opus.  
Lingua manu hic certet: cedit tibi palma, BADESI,  
Ars spirare dedit: dat tua Musa loqui.

### IOSEPHI CASTALIONIS.



HOC quoque, SIXTE, tuis titulis accessit honoris,  
Quod tibi nobilium surgit seges aurea vatum,  
Atque tuas docto modulatur carmine laudes.  
Augusti saeculum nihil est, quod nostra requirant  
Tempora: maiorem nemo te namque Poetis  
Materiam tribuit, nemo ve impensius vquam  
Ingenia in tanto folio Parnassia fouit.  
Qui laudanda facit, laudari ducit honestum.  
Carmina nec spernit, cui cordi est fama superstes.  
Carmina res gestas populorum in longa propagant  
Saecula: carminibus viuunt pia nomina regum.  
Caetera victa aeuo, vel vi monumenta fatiscunt:  
Ius habet in solos versus iniuria nullum.  
Quae tua dilecti mandant praeconia chartis  
Pierijs vates, viuent, dum cernuus orbis  
Ad vaticani procumbet limina templi.  
Hic canit acrio pendentis fornice riuos.  
Ille Obeliscorum tollit miracula caelo.  
Exquiliis, sanctumq. Dei natale celebrat  
Insignis puro Praesepe BADESIVS ore.  
Nos quoque per laudes (tantis Pater annue caeptis)  
Ire tuas inuat, & seruatas dicere sedes  
Italiae, partamq. tua virtute quietem.  
Sic tua longinquas penetrabit gloria terras  
Et tua sic feri cognoscent facta nepotes.

FRAN-

## FRANCISCI LANCELLOTTI.



*L*XTVLIT aërio suspensum fornice templum  
SIXTVS, & innumeras indidit artis opes.  
Illius effigiem docto BADESIVS ore  
Expressit, tanto dignum opus ingenio.  
Quid iam Roma facis duplici tam diues honore?  
Attonita geminum suspice mente decus.

## BALDVINI FELICIS.



*A*VGVSTVM SIXTI ingreditur quicumq. Sacellum,  
Dum decora attonita mente tot alta videt,  
Ecquis, ait, posthac priscos iactare labores  
Audeat, & titulos, artificumq. manus?  
Seu rutilis niteant late tectoria crustis,  
Seu coeant miris marmora secta modis,  
Seu reddat viuas rerum pictura figuras,  
Quidquid erit, nullum clarius extat opus.

## ALIVD EIVSDEM AD HIERONYMVVM

Badesium.

*N*E tantum aurato decorentur fornice Quinti  
SIXTI opere aetherei sacra incunabula Regis,  
Ipse opus illustras adeo praclare BADESI  
Carminibus cultis, ut fornix cedat & aurum.

## DE STATVA PII V. ET SIXTI V. P. M.

In Sacello Exquilino.

THOMAE BOZII.



*F*RANCISCI alumnus hinc, & inde Dominici  
Christi adsident cunabulis.  
Victi altero auspice classe Turci nautica,  
Et perduelles Gallici.  
Ab altero experimur alti consili  
Ope, omnia exscindi mala.

En iam peremptos Italis sicarios,  
Casosq. Gallis impios.

Visti olim ob hac tenere templum decidens  
Franciscus, atque Dominicus.

Iure ambiunt Christi. natalem locum  
Hinc SIXTVS, atque illinc PIVS.

De more Patrum, quod suorum fulciant  
Domum Dei, ne corruat.

## INCERTI.



*C*OMPLVRES templum SIXTI cecinere Poeta,  
Tot miranda vnus dicere vix potuit.

ALIVD.

*E*GREGII sacrum vates cecinere sacellum  
SIXTI, nec dum omnes, omnia mira canunt.

FINIS.

copied